[illegible] ergebenst überreicht vom Verfasser

# DE TROIANIS SCAENICIS

## SPECIMINA DUO.

### ACCEDIT APPENDIX ,DE TEUCRO TEUCRISQUE'.

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**HENRICUS DEGEN**

LIPSIENSIS

---

LIPSIAE

TYPIS HESSEI & BECKERI

MDCCCC.

HENRICI LINDENBERG

OPTIMI AVUNCULI

PIIS MANIBUS

SACRUM

# Praefatio.

Nondum continua et copiosa narratione explanatum est, quas quaque aetate exterarum gentium notiones Graeci usitatas perceptasque habuerint et quo animo in eas fuerint ac sensu.[1]) Quod certe non mirum est. Neque enim tantum opus suscipi potest, priusquam peculiaribus disputationibus subtiliter et diligenter indagatum est, quid poëtae, quid rerum scriptores, quid philosophi Graecorum et ipsi de barbaris cognoverint atque existimaverint et populum compertum habuisse et sensisse doceant. Epicis scilicet a poëtis initium capiendum est. Atque iam uberiorem de barbaris epicis commentationem Robertus Zahn nuper edidit (‚Die Darstellung der Barbaren in griech. Litteratur und Kunst der vorhellenist. Zeit.‘ I. T. Dissert. v. Heidelberg 1896). Longe autem plures et vividiores imagines barbarorum scaenicos exhibere in propatulo est. Neque tamen adhuc de barbaris scaenicis copiosius dissertum est. Nam disputatiuncula, quam Rudolfus Hecht conscripsit (‚Die Darstellung fremder Nationalitaeten im Drama der Griechen.‘ Progr. d. Kgl. Realgymnasiums auf der Burg in Koenigsberg 1892. [16 pag.!]), parum plena est. Atque etiam prava ratione eam institutam esse arbitror. Nego enim in universum de barbaris recte iudicari posse, priusquam unaquaque de gente separatim accuratius exploratum erit, praesertim cum inter tot ac tam diversas gentes a Graecis, quamquam eas propter linguas earum omnes item balbutire sibi visas uno eodemque nomine comprehenderunt, tamen com-

[1]) Breviter tantum et exiliter ipsius nominis *βάρβαρος* quae origo sit et quomodo significatio eius ac vis tempore procedente mutata sit, explicarunt Fr. Roth, ‚Bemerk. über Sinn u. Gebrauch des Wortes ‚Barbar‘. Vortr. geh. i. d. Kgl. Bair. Acad.‘ Nuernberg 1814; F. Grotefend, ‚Encyclop. v. Ersch u. Gruber‘ VII. (1821) p. 347. s. v. ‚Barbaren‘; A. Graefenhan, ‚Gesch. der klass. Philol.‘ I. (1843) p. 183./186.; F. Gerlach u. W. Teuffel, ‚Pauly's Real-Encycl. I$^1$ 2 (1866) p. 2265/7. s. v. ‚Barbari‘; Saglio et Humbert apud Darembergium et Saglionem, ‚Dictionn. des antiqu. gr. et rom.$^3$‘ t. I. (1881) s. v. ‚Barbari‘ p. 670. ss., qui etiam alia pauca de ipsis barbaris attulerunt; Ruge, ‚Pauly's Real-Encycl. neu herausgeg. v. Wissowa‘ t. II (1896) s. v. ‚Barbaroi‘ p. 2858.

pluribus rebus discrimina facta esse per se veri simile sit.[1]) Hecht autem coniunctim de omnibus barbaris (tamquam de uno magno populo) disputat. Quae cum ita sint, in animo habeo eandem quaestionem alia ratione accuratius tractare. Atque primum fabulosorum barbarorum in consuetudinem societatemque me dedi et exorsus sum ab ea gente fabulosa, cui Graecorum proavi in Homeri carminibus opponuntur, Troianos dico. Totam autem materiam in duas partes discribendam esse duxi. Priore enim parte de rebus externis agam, ita ut dicam:

I. de nominibus,
  A) populi,
  B) singulorum hominum;
II. de lingua;
III. A) de corporis forma ac specie,
  B) de vestibus,
  C) de armis;
IV. de victu cultuque;
V. de rebus privatis;
VI. de rebus sacris et de musica;
VII. de re publica.

Altera autem parte propositum mihi est investigare, quo ingenio qualibusque moribus praeditos singuli poëtae in singulis fabulis illos barbaros in scaenam produxerint quidque ipsi de iis iudicaverint. Huius igitur quaestionis nunc quidem duo tantum capita profero, attamen in universum unum saltem iam hoc loco moneo: in describendis Troianis Persarum bella poëtis scaenicis (item ut artificibus)[2]) alicuius momenti fuisse.[3])

Priusquam ad ipsam rem tractandam accedo, et Curtio Wachsmuthio et Francisco Studniczkae viris summe venerandis gratias ago quam maximas, quod summa benignitate in disponenda ac perpolienda hac dissertatione consilio me adiuverunt.

---

[1]) Etiam expressis verbis iam Plato monuit barbarorum singulas gentes inter se differre (Politic. p. 262 D.): ‚— *σύμπασι δὲ τοῖς ἄλλοις γένεσιν, ἀπείροις οὖσι καὶ ἀμίκτοις καὶ ἀσυμφώνοις πρὸς ἄλληλα, βάρβαρον μιᾷ κλήσει προςειπόντες αὐτό* —.‘, quem ad locum cfr. Zellerum, Philos. d. Gr. p. 525. adn. 1. Idem philosophus alio loco (Rei publ. p. 435. E.) quid inter barbaros septentrionales (ut Thraces, Scythas, alios) et meridionales (ut Phoenices, Aegyptios) interesset exposuit. Iidem autem septentrionales barbari qua differentia ab Asianis disiuncti essent, Aristoteles (Politic. l. VII. (IV.) c. 7. p. 1327ᵇ (Bekk.) explicavit. v. et Zahnium l. l. p. 4., 7.

[2]) cfr. Br. Sauerum, ‚Aus der Anomia‘ p. 90. ss.; Guil. Kleinium, Jahrb. d. arch. Inst. IX. (1894) p. 251. ss. impr. p. 253; Zahnium, l. l. p. 1./2., 44.

[3]) cfr. interim quae perpauca Hecht (l. l.) collegit.

## Caput I.

# De nominibus.

### A) De nominibus populi.

Quaeritur quae nomina qua de causa poëtae scaenici populo imperio Priami parenti indiderint nec non unde ea petierint.

Reperimus

a) nomina cum nominibus vel urbis ipsius vel heroum eponymorum eius cohaerentia.
b) nomina a nominibus aliorum heroum Troianorum gentiumve eis cognominium derivata.
c) nomina a nominibus geographicis derivata.
d) nomina, quae revera gentium a Troianis diversarum propria per neglegentiam et confusionem Troibus indita videntur.

#### a) De nominibus, quae cum nominibus vel urbis ipsius vel heroum eponymorum eius cohaerent.

1. De nomine, cuius provincia a scaenicis iisdem terminis circumscribitur atque ab Homero.

*Τρώων* nomine gens imperio Priami subiecta a scaenicis[1]) saepissime appellatur. Hoc autem vocabulum, a quo *Τροίης* urbis nomen ductum est[2]), ab Homero eidem populo unum atque solum imponi quis est quin sciat?

[1]) a tragicis Graecis (ut ab Aeschylo, Agam. v. 67. W. [=K.]; Car. fr. 99. v. 20. [W.]), Sophocle (Aiac. v. 467.; Philoct. v. 1253), Euripide (Hecub., Androm., Troad. passim), auctore Rhesi (v. 149. etc.) et. al.); a tragicis Romanis (ut a Livio (Equ. Troi. v. Ribbeckium, Scaen. Roman. p. fr. I[3] p. 3.), Naevio (Equ. Tr. ibid. p. 9.), Accio (Troad. ibid. p. 229.), Seneca (Agam. v. 511., 526.; Troad. 95, 742, 791, 1055, 1129); a comicis Graecis (ut ab Epicharmo (Troum fr. 130./131. Kaibel. = fr. 1. et 2. Lor. (p. 253)), Sophron. (mim. mul. inc. fr. 32 Kaib.), Antiphane (fr. 48. K.), Menandro (fr. 469. K.), a comicis Romanis (ut a Plauto [Pseud. v. 1244.]).

[2]) v. Guilelm. Schulzium, Quaest. ep. p. 21 n. 1; 22; 406.

## 2. De nomine, quod apud scaenicos latius patet quam apud Homerum.

Ἰλιάδες mulieres Troianorum ab Euripide vocantur (Hecub. v. 1063., Androm. v. 128., 141., 301., 489.; Troad. v. 245.; Helen. v. 1114).[1] Eodem nomine Seneca eas appellat (Troad. v. 144.; Agam. v. 587., 655.), Euripidis auctoritatem secutus. Ilios Troes ipsos Plautus nominat (Bacch. v. 951.).

In Homeri carminibus praeter Ili herois et Ilii urbis nomina semel unum reperitur eiusdem radicis adjectivum Ἰλήιος (Il. c. XXI. v. 558.) ope suffixi -ιος a forma Ἰλεύς derivatum[2]), idque in regione, non in gente significanda usurpatur.

Item Aeschylus Ἰλιάς adiectivo ope suffixi -ια(δ)ς a forma Ἴλιος ducto[3]), quo primus, quod quidem sciamus, utitur, terram tantum Troianam appellat (Agam. v. 460. Wckl. = 434. K.), cuius usus exempla apud Herodotum quoque reperimus (l. V. c. 94., 122.; l. VII. c. 42.).

Euripidem autem etiam homines Troianos hoc nomine nuncupare vidimus. Idem poëta Ἴλιος adiectivum ope suffixi —ιος a nomine Ἶλος derivatum Minervae Troianae imponit (Hecub. v. 1008. Ἀθάνας Ἰλίας).[4])

Similiter Alexander ,pastor Ilius' ab Accio (Teleph. fr. 1. R.³ v. 610.), Hector ,Ilius' a Plauto (Cas. v. 995.) appellatur.

Atque etiam ipsam gentem Troianorum idem Plautus Ilios vocat, ut supra animadvertimus.

Anquirenti autem, qua de causa Ilii nominis potestatem apud scaenicos adeo dilatatam inveniamus, id imprimis considerandum mihi videtur, quod recens illud oppidulum, quod ea quam historia complectitur aetate in eodem loco situm erat, in quo Troia Homerica collocata fuisse putabatur, a scriptoribus et Graecorum et Romanorum nullo alio nisi Ἰλίου nomine significatur neque cives eius aliter vocantur nisi Ἰλιεῖς.[5])

---

[1]) De forma Ἰλιάδης a nomine Ἶλος derivata, qua Euripides Androm. v. 1024. utitur (Ἰλιάδαι βασιλῆες), hoc loco iure sileo, cum reges Troianorum hoc vocabulo non ut Troiani, sed ut Ili regis progenies designari videantur.

[2]) v. Kuehnerum-Blassium, Gr. Gr. II p. 293, 4.

[3]) v. Kuehnerum-Blassium l. l. p. 282, 9.

[4]) Si Ἴλιος urbis nomen substantivorum in numero habemus, Ἴλιος adiectivi praeter Euripidem nullus, quantum video, alius auctor Graecus mentionem facit, nedum eo utatur, nisi Stephanus Byzantius. Hic autem eiusve auctor nescio an ex ipsis his testimoniis id delibarit. — Certe non mirum est, quod adiectiva a nomine urbis Ἴλιος derivata (ut Ἰλιάς) multo saepius usurpantur.

[5]) v. Hellanic. fr. 145. M. (FHG I. p. 65.); Xenoph. Hell. I, 1, 4; Hellen. III, 1, 16 etc. — Liv. XXXV, 43, 3; XXXVII, 9, 7 etc. cfr. A.

## b) De nominibus, quae a nominibus aliorum heroum Troianorum gentiumve eis cognominium derivata sunt.

### 1. De duobus nominibus aliter ab Homero, aliter a scaenicis usurpatis.

*α*) *Δαρδανίδαι* Troes Rhesi v. 230. vocantur, ‚Dardaniae gentes' Accii Philoctet. fr. I. (R[3]).

*Δαρδανίδης* vocabulum ope suffixi -*ιδης* a forma *Δάρδανος* derivatum apud Homerum eum significat qui Dardani herois stirpe generatus est.[1]) Cuius angustioris notionis exempla etiam post Homerum qui fuerunt poëtae et veteres et recentiores haud pauca exhibent.[2])

Liberior autem ille usus, quo tota gens Troianorum hoc nomine appellatur, quamquam primum Rhesi in versu laudato reperitur, nescio an multo vetustior sit aliis eiusdem amplificationis exemplis collatis.[3])

*Δαρδάνιος* nomen ope suffixi -*ιος* a vocabulo *Δάρδανος* formatum iam ab auctore Il. carm. II. (v. 819.) genti illi, cui Aeneas, Archelochos, Acamas praesunt, inditur. Sed monendum est in carminibus Homeri illam gentem, quae eadem ceteris locis aut Dardanorum aut Dardanionum nomine nuncupatur, diserte a Troibus distingui, cum ab Accio ipsi Troiani Dardanii appellentur.

Attamen Accianae huius licentiae initium quoddam ac semen iam in eadem Iliade reperitur. Dardanus enim, Dardanorum heros eponymus, carm. XX. v. 215. ss. stemmati

---

Steitzium, Fleckeis. Jahrb. vol. 111 (1875) p. 229; P. Hauboldium, De rebus Iliensium dissert. Lips. (1888) p. 9 ss.; Schuchhardtium, Schliemanns Ausgrab.[2] p. 31 ss.

[1]) ut Ilum (Iliad. c. XI., v. 166., 372.), Priamum (Il. c. III. v. 303. c. V. v. 159. etc.). — Neque tamen hoc nomen primitus patronymicam vim habuisse contendere ausim. Latius enim provinciam suffixi — *ιδης* principio quidem patuisse animadverterunt Lobeck ad Aiac.[2] v. 880. p. 388 ss.; Passow, op. ac. p. 304; Usener, Goettern. p. 20.

[2]) v. hymn. Hom. IV. v. 177.; Pindar. fr. 120. (85.) etc. — Vergil. Aen. c. X. v. 545.; Senec. Agam. v. 863. etc.

[3]) *Ἐρεχθεΐδας* Athenienses appellat Pindarus (Isthm. II, 19), item Sophocles (Aiac. v. 202. etc.).

*Κεκροπίδας* eosdem Herodotus (l. VIII. c. 44.), Euripides (Ion. v. 296.; Phoen. v. 855.) etc.

*Δαναΐδας* Argivos Euripides (Hecub. v. 503.; Phoeniss. v. 466. etc.).

Similiter Thebanos *Καδμείους* (*Καδμεΐωνας*) Homerus vocat (Il. c. IV. v. 385., 388. etc.).

Ipso vocabulo *Δαρδανίδαι* item ut ab auctore Rhesi Troes a recentioribus poëtis saepius significantur (ut a Simmia (Anthol. XV, 22), Alcaeo (Anth. (Plan.) XVI, 7), incerto poëta (Anthol. (Plan.) XVI, 292 = Ps. Plut. de vita Hom. IV, 5.); Quinto Smyrn. (XII, 520 etc.); — a Vergilio (Aen. II, 59, 72 etc.); aliis).

regum Troianorum ut primus auctor praefigitur.[1]) (cfr. praeterea p. 9. adn. 1.)

Cum Ilio urbe idem Dardanus artiore vinculo coniungitur ab Arctino, quippe qui eum a Jove Palladio, praeclarissimo illo signo Ilii urbis, donatum esse narret (Iliupers. fr. 1. K.). Atque iam Iliadis parvae versu primo (fr. 1. K.), si quidem iure antiquo illi carmini attribuitur, Troas regio Dardania vocatur. Etiam ipsam urbem Ilium Pindarus (Ol. c. XIII. v. 56.) *Δαρδάνου τείχεα* dicit, qua cum appellatione congruunt et Sophocleum *Δαρδάνου πέδον* (Phil. v. 19.) et Euripidea *Δαρδάνου πόλις* (Electr. v. 5.; Helen. v. 1493.; v. et Cycl. v. 586.; Troad. v. 841.; Iphig. Aul. v. 881.). Postremo idem Ilium ipsius Dardaniae nomine significatur ab Euripide (Troad. v. 535., 818.; Hel. v. 384.; Or. v. 1391.), quod iam veteres interpretes observarunt (schol. Or. v. 1391.).

Quae cum ita sint, quid mirum, si gens quoque Troianorum eodem nomine nuncupatur?

## Appendicula (ad b, 1, *α*).

### De sedibus Dardanorum.

Dardani ubi habitent Homericorum carminum nullum aliud commemorat nisi XX. v. 216./218. His versibus Dardanus **Dardaniam** urbem in radicibus Idae montis constituisse dicitur idque ante Ilium conditum. Ea autem quam historia complectitur aetate in illa regione neque Dardanorum neque Dardaniae nomen repertum est (cfr. Strab. p. 592.)[2]); omnia enim quae auctores posteriores (ut Demetrius Scepsius ap. Strab. p. 592.(?), 596., 602.; Strabo p. 330. fr. 50.; 565., 593.,

---

[1]) Haec genealogia ab Aenea enarratur, qui dux Dardaniorum esse Il. c. II. v. 819. ss. traditur. Quare facile quispiam opinetur Dardanum heroem eponymum horum Dardanorum, a recentiore quodam poëta Aeneadarum tum in Troade regnantium (v. Il. c. XX. v. 302. ss.; hymn. Homer. IV. v. 196. ss.; Demetr. Sc. ap. Strab. p. 607. etc.) laudes praecipue celebrante Priamidarum familiae idcirco praepositum esse, ut Aeneae eiusque progeniei gloria augeretur. Sed monendum est Aeneam in ipso hoc carmine non Dardanorum ducem, sed *Τρώων βουληφόρον* perhiberi (v. 83.; cfr. praeterea v. 180.; 307.). Neque ceterorum carminum ullo alio versu cum Dardano heroe eiusve gente coniungitur nisi recentioris illius carminis II. v. 819. ss., cum saepe et Ilus et Priamus Dardanides appelletur (v. Il. c. IX. v. 166.; 372. — III. v 303., V. v. 159. etc.). Quare equidem non dubito quin Dardani eponymum suum stemmati regum Troianorum antea praefixerint quam Aeneam ad se vindicarunt. Atque delibero an ipsis his versibus carm. XX. (215. ss.) Aeneas primum cum Dardanio nomine conectatur.

[2]) v. et Sybelium in Rosch. lex. I.a p. 961.

606.; Ps. Scymnus v. 688./9.) sive de Dardania urbe illic sita sive de Dardania regione a Cebreniis usque ad Scepsios pertinente[1]) nugantur, ex iisdem his versibus carminis XX. manarunt. Sed ad Hellespontum revera perantiquum oppidum, nomine Dardanum, situm fuisse constat (Herodot. l. V. c. 117.; l. VII. c. 43.; Thucyd. l. VIII. c. 104. etc.; Strab. p. 595. [‚κτίσμα ἀρχαῖον‘]). Quod oppidum ab eodem heroe Dardano conditum esse fertur (Mnas. fr. 28. M. [FHG III. p. 154]; Diodor. l. IV. c. 75., l. V. c. 48.; Dionys. Hal. l. I. c. 60./61.; Ps. Apollod. l. III. c. 12, 1.; — Conon. fr. XXI. ‚ἐν ᾧ τῆς σχεδίας ἀπέβη, κτίζει Δαρδανίαν‘!.) Atque cum Dardani in antiquissimam de bello Troiano fabulam posteriore aetate inducti[2]) primum recentioribus carminibus Homeri Troianis certo consilio praeponi[3]) videantur, haesito an Dardania illa urbs Ilio antiquior in maiorem gloriam Dardanorum excogitata sit.

Hic quaerat quispiam, cur non Dardanus, quod revera exstabat oppidum, Ilio antiquius esse praedicatum sit. Sed primum nescimus, num hoc oppidum tam vetustum sit, ut iam illa aetate id fieri potuerit. Equidem suspicari velim Dardanum haud ita multo ante conditum esse quam Dardani fabulis Troianis inserti sunt. Deinde certam causam repperisse mihi videor, cur in radicibus Idae montis Dardani fabulosam illam urbem collocaverint. Haec enim regio Aeneae sedibus Homericis (Il. c. XX. v. 90. ss., 188. ss.) finitima est. Aeneam autem Troianum posteriore aetate Dardani sibi vindicarunt, ut supra demonstravimus. Quae cum ita sint, nonne probabile est Dardaniae nomen ideo in loca Idaea translatum esse, ut Aeneas propius ad Dardanos admoveretur?

Quod si recte statuimus, non dubito, quin Dardanus Dardanique primitus Dardano ex oppido Hellespontico oriundi sint. Quae autem ratio inter hoc oppidum et Dardanum heroem Graecum intercedat, hoc loco non licet disceptare.

---

[1]) Aeneae nimirum Aeneadarumque regna huic regioni adiunguntur, cum Aeneas Il. carm. II. v. 819. ss. Dardaniorum dux esse praedicetur. Sed Aeneam in omnibus antiquioribus carminibus Homeri Troianum esse, recentiore demum aetate a Dardanis sibi adscitum esse supra probavimus.

[2]) Antiquioribus in carminibus nunquam soli, semper Troianis adiuncti prodeunt (cfr. Τρῶες καὶ Δάρδανοι ἠδ' ἐπίκουροι Il. c. III. v. 456. etc.; Τρῶες καὶ Δαρδανίωνες Il. c VIII. v. 154. etc.; Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι c. VIII. v. 173. etc.; Τρωίαδες καὶ Δαρδανίδες c. XVIII. v. 122., 339.

[3]) cfr. Il. c. II. v. 701. (Protesilaum interficit Δάρδανος ἀνήρ). Il. c. XVI. v. 807. (Patroclum interficit Δάρδανος ἀνήρ). Il. c. XX. v. 215. (Dardanus stemmati regum Troianorum praefigitur).

β) *Πριαμίδας* Troianos Euripides appellat (Helen. v. 239., 249.).

De hoc nomine fere idem dicendum est, quod de Dardanidis paullo supra exposuimus. Homeri in carminibus *Πριαμίδης* filium tantum Priami significat[1], qua notione praeditum hoc vocabulum apud tragicos quoque interdum reperitur (Eurip. Androm. v. 287.; Hecub. v. 13., 764., 1132., 1140., Helen. v. 234., 359.; — Rhes. v. 167.; incert. fr. 286. N.[2]). Sed iam ab Aeschylo Priamidarum nomine tota Priami familia atque domus designatur idque etiam iis locis, quibus pro toto populo Troianorum tamquam vicaria substituitur (Agam. v. 542. Wckl. = 515. K.; 746. W. = 719. K.; Choeph. v. 934. W. = 928. K.).[2] Euripidem vero ipsum populum Troianorum eodem nomine nuncupare vel eo intellegitur quod populo Graecorum Priamidae opponuntur (cfr. Hel. v. 239. *Δαναΐδαις ἄγουσα θάνατον Πριαμίδαις τε.* Hel. v. 249. *Πριαμίδαισιν Ἕλλαδος*).

Distincte igitur animadvertere possumus quo modo gradatim potestas huius patronymici dilatata sit.

## 2. De nomine Homero ignoto.

Teucrorum nomen Troibus a Seneca inditur (Troad. v. 918.).

Hoc vocabulo Troiani apud Homerum nusquam nuncupantur. Neque ullus (alius) aut populus aut heros cognominis in Iliade commemoratur, cui cum Troibus quidquam rationis intercedat. Posthomericis autem in compluribus carminibus Teucrum quendam, filium Scamandri fluvii et Idaeae nymphae, antiquissimum proavum Troianorum perhibitum esse Hellanici multorumque mythographorum testimoniis comprobatur. Item gentem quandam Teucrorum ante Dardani aetatem in Troade habitasse aliqui poëtae posthomerici narrarunt, in quibus Callinus poëta elegiacus.[3] Aeschylus terram Troianam *Τευκρίδα* appellat (Agam. v. 114. Wck. = 111. K.). *Τευκρίς* adiectivum utrum a nomine herois *Τεῦκρος* an a nomine gentis *Τευκρός* derivatum sit, diiudicare non possumus.[4] Neque

---

[1]) cfr. H. Ebelingium, lex. Hom. s. v.

[2]) Similiter hoc nomine utitur Euripides (Hecub. v. 583., 1002. 1147.; Cycl. v. 178.); auctor Rhesi (v. 299.; v. 338.).

[3]) De Teucro, heroe Troiano, et de Teucris, gente Troiana, quae supersunt testimonia appendice percensentur, qua unde oriundi sint uberius disseritur.

[4]) cfr. *Ἀχαιΐδα γαῖαν* Il. c. I. v. 254.; c. VII. v. 124. etc. (*Πλαταιΐς, Θηβαΐς* al.). — *Πριαμίδος γᾶρ* Eurip. Helen. v. 1158.; *πύλαισιν Πριαμίσιν*

etiamsi *Τευκρίς* a nomine ethnico *Τευκρός* ductum esse sumamus, perspicuum est, utrum Aeschylus antiquam illam gentem an ipsos Troianos significet. Certe terra Troiana idcirco, quod olim Teucrorum fuit, etiam posteriore aetate *Τευκρίς* ut vetustiore nomine appellari potest. Ipsos autem Troianos Teucros vocat Herodotus in illa de raptu Helenae narratione, quam e sacerdotibus Aegyptiis se comperisse praedicat (l. II., c. 114./118.). Halicarnassensem saepissime eos quos revera adhibuit auctores non nominare notissimum est. Atque illam fabulam eum ab Hecataeo mutuatum esse Hermannus Diels (Herm. XXII. p. 442./4.) sagaciter demonstravit.[1]) Eodem autem e fonte etiam Teucrorum nomen, quo Troes illic appellantur, manasse facile ex hoc intellegitur, quod capite 120., quo propria sua profert, Herodotus Troum vocabulo eos nuncupat, non Teucrorum. Hecataeum scilicet non ipsum primum hos pro illis substituisse satis probabile est, sed cuius auctoris exemplum secutus sit, ignoramus.[2]) Utique facile fieri potuit, ut Teucrorum nomen etiam Troianis ipsis tamquam antiquius et iustius inderetur, propterea quod omnes illae fabulae Teucros non genere ac sanguine, sed aetate tantum a Troibus diversos ferebaut, quippe quae in agros Iliacos a Teucrorum aetate usque ad bellum Troianum nusquam narrarent ullam aliam gentem immigrasse.[3])

---

Eur. Or. v. 1481. (*Κεκροπίς*, al.). v. Kuehnerum-Blassium, Gr. Gr. I, 2 p. 274, 1; 282, 9.

[1]) cfr. praeterea Wiedemannum, Herodots II. Buch p. 435.; C. Friesium, Quaest. Herodot. (diss. Berol. 1893.) p. 6.; imprimis F. Noackium, Iliupersis (diss. Giss. 1890) p. 90. ss., qui vir doctus nova argumenta addidit.

[2]) Hecataeum in hac de Helena fabula enarranda poëtae Hesiodei vestigia pressisse Noack (l. l. p. 96./97.) contendit. Sed Hesiodi illud fragmentum (269 Rz.), si modo revera Hesiodi est, quomodo interpretandum sit, parum constat (v. M. Mayerum, de Euripidis mythopoeia (diss. Berol. 1883) p. 6. ss.). Rursus contra Stesichori fabulam logographum pugnasse non est, cur negemus (ut Noack l. l. p. 94.). Sed hoc utut est, unde Teucrorum nomen Hecataeus delibarit, prorsus incertum est.

[3]) Dardanorum gentem alii a Teucris ut Troianorum proavis seiunctam habent (Dionysius Halicarn. (l. I, c. 61 (*δόντος αὐτῷ* (i. e. *Δαρδάνῳ*) *χωρία Τεύκρου*); c. 62 *τῆς τε πατρῴας καὶ τῆς ὑπὸ τῷ μητροπάτορι* (i. e. *Τεύκρῳ*) *γενομένης κληρονομήσας ἀρχῆς* (sc. Erichthonius filius Dardani)); Ps. Apollodorus (l. III. c. 12, 1., 3. *λαβὼν μέρος τῆς γῆς* (sc. Dardanus)); Conon (fab. XXI. *Δάρδανος λαμβάνει τὴν ἡμίσειαν κ. τ. λ.*);

alii Dardanum heroem solum advenisse narrant et post mortem soceri regnum adeptum ipsum populum Teucrorum e suo nomine Dardanos nominasse (Mnaseas (FHG III p. 154. fr. 28.); Diodorus (l. IV. c. 75., 1.; interpol. Serv. Aen. l. III. v. 167.);

Romani quidam Dardanos postea Teucros appellatos esse tradunt (interpol. Servii Aen. l. I. v. 38.; l. III. v. 108. etc.).

Pariter atque vetustus ille logographus poëtae recentiores Troes Teucrorum nomine designant, velut Callimachus (hymn. III. in Dianam v. 231.).[1])

Ab his poëtis Alexandrinis Romanorum poëtae lyrici illam appellationem videntur petiisse, velut Catullus (c. LXIV. v. 344.), Horatius (c. IV., 6., v. 12.), Ovidius (Metam. l. XIV. v. 72. etc.).[2])

Vergilius (Aen. l. I. v. 38., passim) unde eam deprompserit, in ambiguo est.[3]) Huius autem celeberrimi poëtae auctoritatem Senecam secutum esse veri simillimum est.

### c) De nominibus, quae a nominibus geographicis derivata sunt.

1. De nomine a nomine montis Idae ducto, quod apud scaenicos latius patet quam apud Homerum.

*Ἰδαῖαι* mulieres Troades ab Euripide appellantur (Hecub. v. 354./5.), *Ἰδαῖον κάρα* servus Troianus Helenae (Or. v. 1380.).

*Ἰδαῖος* vocabulo in carminibus Homeri ea sola significantur, quae ad Idam montem pertinent (cfr. Ebelingium l. H. s. v.). Sed iam Sophocles terram Troianam *Ἰδαίαν χθόνα* vocat (Aiac. v. 434.; Polyx. fr. 479. N.²).[4]) Ipsam Troiam Euripides *Ἰδαίαν πόλιν* appellat (Helen. v. 658.). Idem eo procedit, ut homines Troianos eodem nomine nuncupet.[5]) Atque etiam instrumenta et vestimenta eorum eadem appellatione notat (Electr. v. 317. *Ἰδαῖα φάρη*; Troad. v. 199. *Ἰδαίοις ἱστοῖς*). — Similiter Phocii Parnassii nominantur ab eodem Euripide (Troad. v. 9.; v. schol. et Ephor. ap. Strab. p. 422.).

2. De nominibus alio ab alia appellatione terrae profectis, quae apud Homerum nusquam reperiuntur.

α) *ἠπειρῶτις* Andromacha Troiana ab Euripide vocatur (Andr. v. 159.; 652.).

---

[1]) v. etiam Dosiad. (Anthol. l. XV., 26., 18.); Ps. Aristot. epigr. 52. (B.)

[2]) v. et. Propertium (l. V. c. 6. v. 21. ‚Teucro Quirino‘!).

[3]) a Varrone? (cfr. interp. Serv. l. III. v. 167.) Vergilii ex Aeneide Teucrorum nomen redundavit in carmina Statii (Achill. I, 86 etc.), Silii Italici (Pun. l. XIII. v. 36. ss ).

[4]) Sipylenam regionem Aeschylus *Ἰδαίαν χθόνα* appellat (Niob. fr. 163. Wckl. = N.²).

[5]) Neglegendos puto in hac quaestione eos locos, quibus Alexander *Ἰδαῖος* vocatur (Hecub. v. 944.; Androm. v. 706 ; Hel. v. 29.; Or. v. 1346.; Iphig. Aulid. v. 1289./1290.). Huic enim illud cognomen Euripides idcirco inditum esse dicit, quod in Ida monte expositus esset (Iphig. A. l. l.) aut quod illic greges pascens dearum litem diiudicavisset (Helen. l. l. cfr. Hecub. l. l.).

ἤπειρος vocabulo in carminibus Homeri omnis terra continens significatur, non definita una eius pars.[1]) Eodem nomine duas vel tres illas partes, in quas Graeci (certe inde ab exeunte sexto a. Ch. n. saeculo) orbem terrarum dividere solebant, appellant Pindarus (Pyth. IX. v. 8. cfr. Pyth. IV. v. 48.), Aeschylus (Prom. v. 788. K. cfr. Pers. v. 728.), Sophocles (Trach. v. 101., fr. dub. 1018 N.[2]), Euripides (Ion. v. 1585.). Praecipue autem Asia Persarumque imperium ἤπειρος vocatur primum ab Aeschylo (Pers. v. 43., 709. K.), postea ab Herodoto (l. I. c. 96.; [l. I., c. 151.; l. IV. c. 91.]), a Xenophonte (Hell. l. III. c. 1., 5.), ab Isocrate (Panegyr. c. 132., 157., 163., 174., 187.[2]), ab aliis recentioribus.[3]) Videmus igitur Euripidem l. l. recentiorem quandam appellationem Asianorum, ne dicam Persarum, in Troianos transferre. Ipsam autem eam in insulis prope Asiam sitis ortam esse in aprico est.

β) Ἀσιάτιδες Troades appellantur ab Euripide (Troad. v. 1219.; Electr. v. 315. Ἀσιήτιδες (l. m.), Ἀσίδες Hermannus; cfr. Andromach. v. 119. σὰν (sc. Andromachae) Ἀσιήτιδα γένναν; Orest. v. 1397. Ἀσιάδι φωνᾷ (sc. Troianorum)).

Asiae terrae nomen[4]) ab Homero nusquam commemoratur neque quid de prato sive Ἀσίῳ sive Ἀσίῳ[5]) iudicandum sit, satis liquet. Primum, quod quidem sciamus, nomen Asiae terrae ab Archilocho (fr. 26. B.[4] Ἀσίης-μηλοτρόφου) usurpatur, deinceps a Mimnermo (fr. 9. B.[4]). Saepius reperitur apud poëtas scriptoresque sexti et quinti a Chr. n. saeculi (velut Simonid. C. fr. 142. B.[4]; *135. [?] B.[4]; Pindar. Ol. VII. v. 18.; Aeschyl. Prometh. dev. v. 414.; Prom. sol. fr. 191. v. 2. [N.[2] = Wckl.]; Pers. v. 754. K. Ἀσίδος μηλοτρόφου; Soph. Mys. fr. 377. N.[2]; Eurip. fr. inc. 981. v. 4. N.[2]; — Hecataeum [passim]; Herodot. l. I. c. 4., passim). Ipsa autem hac appellatione Aeschylus crebro Persas eorumque imperium significat (Pers. v. 12. K. [59, 63., 249., 547., 582/3., 910.]). Quare Euripidem eo, quod

---

[1]) cfr. Ebelingium, l. Hom. s. v. Etiam Od. c. XVIII. v. 84., 115. non Echeti regnum, sed omnino terram continentem ἤπειρον appellari arbitror coll. Od. c. XIV. v. 97./98. (οὔτ' ἠπείροιο μελαίνης) οὔτ' αὐτῆς Ἰθάκης); nam illis quoque locis ἤπειρος Ithacae insulae videtur opponi.

[2]) cfr. Morum ad Isocr. Panegyr. c. 86. (= p. 132.) adn. h. (ed. Spohn.).

[3]) cfr. Spohnium ad Is. Pan. c. 46. (= p. 174.) adn d.

[4]) Ἀσία nomen unde ductum sit, non constat. Aliter ab aliis viris doctis enodatur (cfr. Rugium ap Wissowam II. p. 1534.).

[5]) Il. c. II. v. 461. Ἀσίω ἐν λειμῶνι grammatici Alexandrini scripserunt (schol. ABLV. cfr. Ludwichium, Aristarchs Hom. Textkr. I. p. 219), quibus adstipulati sunt F. A. Wolf, praef. Il. p. XLIV.: C. La Roche, ed.; Ἀσίῳ scripsit Hermann (ad hymn. Apoll. v. 250.) lectionem cod. C secutus, cui assentitur Ed. Meyer (ap. Wissowam II. p. 1579./1580. s. v. Ἀσίης). De Asia heroe v. Herodot. l. IV. c. 45.; Strab. p. 650.

Troianis idem nomen indit, hos priscorum Argivorum hostes ad quandam similitudinem adversariorum illorum recentioris Graeciae admovere suspicor. Atque valde firmari puto meam sententiam his versibus inter se comparatis: Aeschyl. Pers. v. 74., quo Xerxes appellatur πολυάνδρου δ' Ἀσίας θούριος ἄρχων, Eurip. Troad. v. 748., quo Astyanactem non tamquam victimam mactandam se peperisse dicit Andromacha, sed ὡς τύραννον Ἀσιάδος πολυσπόρου.

**d) De nominibus, quae, cum revera gentium a Troibus diversarum propria iisque iam apud Homerum indita sint, Troianis a tragicis per neglegentiam et confusionem videntur imposita esse.**

1. Φρύγες Troiani inde ab Aeschylo apud scaenicos et Graecorum et Romanorum saepissime vocantur.[1])

Φρυγῶν nomine ea quam historia complectitur aetate gens quaedam a Graecis appellabatur, quae revera et interiorem magnam partem Asiae et Propontidis oram Asianam incolebat[2]), cum Troiani nisi in fabulis non reperirentur.

Iidem Phryges iam ab Homero et Sangarii fluvii ad ripas (Il. c. III. v. 185. ss.; c. XVI. v. 719.) et in Ascania (Il. c. II. v. 862./3.; [c. XIII. v. 793.]) et supra Troadem (Il. c. XXIV. v. 545.) habitantes commemorantur et propter propinquitatem sedium cum Troibus conubio (Il. c. XVI. v. 717./719.) ac societate (Il. c. II. v. 862.; c. III. v. 184. ss.; c. X. v. 431.; [c. XIII. v. 793.]; c. XVI. v. 717./9.) coniunguntur. Sed tamen a Troianis discernuntur. Quod iam Aristarchus vidit (schol. Il. c. II. v. 862.; c. X. v. 431.).[3]) Aeschylum autem Phryges cum Troibus confudisse idem contendit. Jam videamus quid de hac sententia Aristarchi iudicandum sit. Ac primus ipse utrum Aeschylus Troes Phrygum nomine vocaverit an alius auctoris exemplum secutus, ad liquidum explorari non potest.

---

[1]) Aeschyl. Phryg. fr. 262. ss. N.[2] (cfr. Athen. l. I. c 21 f.); Soph. Aiac. v. 200., 486., 1054.; Lacaen. fr. 339. (N.[2]); Laocoont. fr. 334.; Phryg. (ap. Stob. Floril. 8, 5 = fr. 657; ap. schol. Aeschyl. Prom. v. 438. K.); Eurip. Hecub. v. 4. etc.; Androm.; Cycl.; Troad.; Electr.; Orest.; Iphig. Aulid. saepissime; Rhes. v. 75. etc.; incert. trag. fr. 569.; — Teleclid. fr. inc. 39. 40. (K.); Aristoph. fr. 677./8. (K.); Antiphan. fr. 72. (K.); — Enn. fr. incert. I., VII. (R.); Pacuv. Ilion. fr. VIII.; Acc. Astyan. fr. IX.; Nyctegr. fr. VII.; Philoct. fr. XVII.; inc. fr. XI.; Senec. Ag. Troad. saepissime; — Plaut. Bacch. v. 955.

[2]) cfr. Ed. Meyerum, Gesch. v. Troas p. 100./101. Ed. Thraemerum, Pergamos p. 358. ss.

[3]) cfr. Lehrsium, Aristarch.[2] p. 232./3. — v. praeterea Strab. p. 573., 665., 675.

Certe Pindarus iam c. Nem. III. v. 60. eadem appellatione utitur.[1]) Qua autem de causa hoc nomen in Troianos translatum sit, facile perspicitur. Aetate enim bello Troiano posteriore Phryges Troadem occupasse delibero an iure quodam complures scriptores Graeci affirmaverint (Xanth. fr. 8. M. = Strab. p. 572 ; Menecrat. El. ap. Strab. l. l.; Strab. p. 473., 565.).[2]) Atque certe a Dareo Phrygiae (i. e. tertiae) satrapiae Troadem adscriptam esse Herodotus testatur (l. III. c. 90.).[3]) Quae cum ita sint, non Aristarcho adstipulor confudisse poëtas posthomericos Phryges cum Troibus, sed cum Fr. Welckero (Aeschyl. Trilog. p. 425.) consentio eos recentius quod tum Troadi erat nomen in antiquiores quoque qui fabulis ferebantur eiusdem terrae incolas transtulisse.

Attamen forsitan aliquis miretur, cur Phrygum nomen tamquam principalem appellationem Troianorum Aeschylus etiam titulum fabulae illi inscripserit, quam de Hectoris redemptione composuit. Sed certo consilio poëtam id fecisse suspicor. Phryges enim chori partes egerunt. Ergo apparet eos nonnulla *μέλη* cantasse, quorum uno saltem eos Achilli supplicasse, ut corpus Hectoris redderet, ex argumento fabulae intellegimus, *Φρύγιον* autem *μέλος* velut exemplum supplicis carminis fuisse Plato docet (Rei publ. p. 399. B: — *καὶ ἄλλην* (sc. harmoniam Phrygiam) *αὖ ἐν εἰρηνικῇ τε καὶ μὴ βιαίῳ, ἀλλ᾽ ἐν ἑκουσίῳ πράξει ὄντος, ἢ τινά τι πείθοντός τε καὶ δεομένου ἢ εὐχῇ θεὸν ἢ διδαχῇ καὶ νουθετήσει ἄνθρωπον* —). Quare non sine aliqua specie probabilitatis conicere licet poëtam imprimis ipsorum carminum natura atque habitu adductum esse, ut choro, cuius erat ea canere[4]), Phrygum, non Troianorum nomen inderet.

2. Lyciorum nomine Troes videntur significari ab Aeschylo Choeph. v. 337. Hoc enim loco Orestes (in carmine, quo mortem patris deplorat) haec clamat verba: *εἰ γὰρ ὑπ᾽*

---

[1]) cfr. Pind. v. 1: *,Λυκίων τε — καὶ Φρυγῶν Δαρδάνων τε'* cum enumeratione populorum apud Homerum (Il. c. VIII. v. 173. al.) frequenti: *Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι.*

[2]) v. praeterea de Phrygia Hellespontica Xenophont. Cyropaed. l. II. c. 1., 5.; l. IV. c. 2., 15.; l. VII. c. 4., 5.; l. VIII. c. 6., 4. — cfr. Ed. Meyerum, Gesch. v. Troas p. 72.; Ed. Thraemerum, Pergamos p. 292. ss.

[3]) cfr. Ed. Meyerum l. l. p. 87.; M. Dunckerum, Gesch. d. A. VI⁵. p. 508.; P. Hauboldium, De rebus Iliensium, diss. Lips. 1888 p. 10.

[4]) cfr. etiam quae Aristophanes (fr. inc. 677./678. K.) de illo choro dicit: *,πολλὰ τοιαυτὶ καὶ τοιαυτὶ καὶ δεῦρο σχηματίσαντας,'* cum iis, quae veteres auctores de ingenio atque indole Phrygii carminis tradunt: Aristot. Polit. 8., 5. *ἐνθουσιαστικόν*; 8., 7. *ὀργιαστικὸν καὶ παθητικόν*; [Aristot.] Probl. 19., 48. *ἐνθουσιαστικὸν καὶ βακχικόν*; Procl. in schol. Plat. Rei publ. III. p. 399. A. *τὴν δὲ Φρύγιον εἰς ἱερὰ καὶ ἐνθεασμοὺς ὡς ἐκστατικήν.* v. Westphalium, Metr. II. 1¹ p. 77./78.

*Ἰλίῳ πρός τινος Λυκίων, πάτερ, δορίτμητος κατηναρίσθης.* Quibus cum versibus U. de Wilamowitz (ed. Choeph. ad v. 1.) iusto iure comparat Odyss. c. XXIV. v. 30./31: *ὡς ὄφελες τιμῆς ἀπονήμενος — δήμῳ ἔνι Τρώων θάνατον καὶ πότμον ἐπισπεῖν.* *Λύκιοι* ea quam historia complectitur aetate a Graecis gens quaedam vocabatur, cuius sedes ad meridionalem oram Asiae sitae longe a Troade aberant. Iidem Lycii[1]) in carminibus Homeri socii Troianorum perhibentur iisque saepius ut praestantissimi auxiliares uni atque soli adiunguntur (Il. c. IV. v. 197., 207.; c. VI. v. 78.; c. XI. v. 285.; c. XV. v. 424., 485. etc.) Sed ibidem ubique a Troibus distinguuntur. Neque ab ullo alio auctore, quod quidem sciamus, cum iis commiscentur. Quae cum ita sint, haesito an Aeschyleo quoque illo versu Lycii ipsi, non Troes designentur. Primum scilicet locum inter hostes Agamemnonis Troianos tenere infitiari non possum. Attamen Lycii quoque fortissime contra Graecos pugnant (imprimis Iliad. c. XII. v. 290. ss.) iidemque etiam in eo proelio adsunt, in quo ipse Agamemnon virtute praeter omnes excellit (carm. XI. v. 285.). Atque eam ob causam Aeschylum l. l. Lycios pro Troibus nominare recte aliquis coniiciat, ut alias alio nomine usurpato sermonem variet. Varietati enim dicendi poëtas scaenicos propter ipsam indolem ac naturam scaenicae fabulae et modis et numeris multiplicis maxime operam dedisse quis nescit? Praeterea certam causam repperisse mihi videor, cur Lycios tamquam primarios fortissimosque adversariorum Agamemnonis Aeschylus illis versibus induxerit. Atheniensis enim erat ipse poëta, Athenienses qui eum audiebant. Athenis autem Lycum heroem eponymum Lyciorum natum esse Atheniensi quadam fabula narrabatur (Herod. l. I c. 173.; l. VII. c. 92.; Strab. p. 573., 667.; Pausan. l. I. c. 19.,3.).

Sed hoc utut se habet, certe satis me probasse spero ne illo quidem loco Aeschylum aliam gentem cum Troibus confudisse. — —

Haec habui quae de nominibus populo Troianorum a scaenicis inditis dicerem. Iam omnia, quae disputavi, his paucis complector:

Uni illi nomini, quo Homerus Troianos appellat[2]), scaenici

---

[1]) Etiam Pandarum Lycium ex eadem Lycia meridionali oriundum esse suspicor. Neque enim in Il. carmine V., cuius vv. 105., 173. Lycius praedicatur (Pandarus), aut Zeleae oppidi aut Aesepi fluvii mentio fit. Pinarae autem in oppido Lyciae heroicis honoribus eum cultum esse Strabo tradit (p. 665.) v. et Ed. Meyerum, Gesch. v. Troas p. 6. ss.

[2]) Perraro apud Homerum altera appellatio reperitur, qua nomen ipsum circumit, *λαὸς ἐυμμελίω Πριάμοιο* (Il. c. IV. v. 47., v. 165.; c. VI. v. 449.).

ut omnino in dicendo a simplicitate epicorum declinantes maiori ubertati et copiae student, nonnullas alias appellationes addunt. Harum pleraeque epicum spirant odorem. Ac primum quidem compluria nomina in carminibus Homeri angustius sive ad urbem sive ad montem sive ad singulos heroes pertinentia a scaenicis etiam in totum populum transferuntur. Quod utrum ipsi suo Marte faciant an antiquiorum poëtarum sive epicorum sive lyricorum exempla secuti, in ambiguo est. Aliud autem epicum nomen, quo apud Aeschylum terram, apud Senecam demum populum appellatum reperimus, *Τευκρός*, e carmine poëtae aetate Homero inferioris, Callino superioris manavit. Attamen recentiore nomine Troadis iam Aeschylus in appellandis Troianis utitur. Itemque recentiorem aetatem quasi sapiunt duae appellationes eorum, quarum utraque primum apud Euripidem invenitur.[1])

Ad extremum iusto iure negamus scaenicos ullam aliam gentem cum Troibus confudisse.

## B) De nominibus singulorum hominum.

Plebeii servique Troianorum in reliquiis scaenicorum nusquam nominibus propriis appellantur. Heroum autem nominum ab eis usurpatorum plurima eadem in carminibus Homeri cyclicorumque in fragmentis reperiuntur. Attamen apud scaenicos et in ipsis Homericis nominibus nonnulla novata et alia compluria nomina neque apud Homerum neque apud cyclicos servata leguntur. Haec omnia utrum scaenici ipsi certo consilio invenerint an ab aliis mutuati sint, accuratius anquiramus.

### a) Percensentur quae in Homericis nominibus novata apud scaenicos leguntur.

#### α) De formis quibus nomina quaedam Homerica augentur.

1. De nomine duplicato.

*Αἰνόπαρις* Paris appellatur ab Euripide (Hecub. v. 945.). Ab Homero etsi non idem adiectivum, tamen simillimum prae-

---

[1]) Ne leviora omittam, adnoto Sophoclem duarum recentiorum civitatum Troadis, alterius (Azeiotarum) in Troiana fabula e Cypriis delibata (Conv. fr. 146. N².), alterius in fragmento incerto (fr. inc. 831.) (Artacensium) mentionem facere. Sed unde eas petierit, nescimus. De Artace oppido v. Herodot. l. IV. c. 14.; l. VI. c. 33.; cfr. Tomaschekium, W. S. B. Bd. 128. (1893) p. 50.; Hirschfeldium ap. Wissowam II. p. 1303./4. De Azeiotis v. Hellan. fr. 124 (M.) (FHG. I. p. 61.) cfr. Boeckhium-Fraenkelium, Staatshaush. II³. p. 420. Tuempelium ap. Wissowam II. p. 2643. s. v. Aziaioi.

fixum δυς-cum nomine Paridis copulatur (Il. c. III. v. 39.; c. XIII. v. 769.). Ac ne αἰνο-quidem praefixum primus Euripides novavit. Reperitur enim idem nomen Αἰνόπαρις iam apud Alcmanem (fr. 40. B.[4] Δύσπαρις, Αἰνόπαρις κ. τ. λ.). Iisdem praefixis Helenae quoque Graecae nomen a Graecis duplicatum est (Δυσελένη Eurip. Or. v. 1387.; Iph. Aulid. v. 1316.; Αἰνελένη Eustath. p. 379., 34. ss.).[1])

2. De nomine deminuto.

Πριαμιλλύδριον ex nomine Priami Epicharmus (fr. 142. [Kaib. p. 117.] = 114 [Lor.] deminuit[2]) atque simpliciorem ὑποκορισμὸν eiusdem nominis, Πριαμύλλιον, incertum fragmentum incerti comici (fr. dub. 1373. [Kock.]) exhibet. Pariter autem Graecorum quoque nomina a comicis deminuta esse quis ignorat?

3. De verbo a nomine derivato.

Πριαμοῦσθαι verbum a nomine Πρίαμος comicus incertus derivavit (fr. inc. 1123. K.). Hoc autem verbo non ipse Priamus ut Troianus, sed tragica eius persona ut senis mento tonsi deridetur (v. Hesych. s. v. πριαμωθήσομαι; Phot., Suid. s. v.; Eustath. p. 1344., 7.; quibus locis Priami persona tragica ξυρίας vocatur).[3])

**β) De veriloquiis quibus nomina quaedam Homerica enodantur.**

1. Alexandri nominis ἔτυμον ab Euripide positum est (Alex. fr. 64. N.[2]), quem Ennius secutus est (Al. fr. V. R.). Atque ab eo Euripides videtur Alexandrum appellatum dixisse, quod homines praedones ab armentis suis depulisset (cfr. Varr. de l. Lat. VII., 82. cum Apollod. III., 12., 5., 5.; Ovid. heroid. XVI. v. 359. ss.). Hoc autem veriloquium ad praeclaram illam de Paride exposito fabulam referendum esse satis probabile est.[4]) Quare haec unde manaverit, nobis indagandum est.

In Cypriis eam exhibitam fuisse F. G. Welcker (Ep. Cycl. II.[2] p. 90./91.) existimat. Sed contra disputat C. Robert (Philol. Unters. h. v. Kiessling u. Wilamowitz H. V., Bild u. Lied, Exc. IV. p. 233. ss.). Non enim in Cypriis hanc fabulam narra-

---

[1]) v. F. Zoellnerum, Anal. Ovid. (diss. Lips. 1892) p. 75., 1.
[2]) v. Lobeckium, Pathol, proleg. p. 401. n. 9. (et. p. 299.).
[3]) ὁ ξυρίας describitur a Polluce (l. IV. c. 133.).
[4]) cfr. G. Wentzelium, Ἐπιθαλάμιον. W. Passow . . . . dargebr. v. Fr. Spiro u. G. Wentzel. p. 56./57. n. 32. Goettingen 1890; Fr. Zoellnerum, l. l. p. 107.

tam fuisse vir doctus imprimis idcirco suspicatur, quod simpliciorem quandam et antiquiorem de educatione Paridis traditionem ut notissimam paucis perstringi arbitratur Euripid. Andromach. his versibus (v. 293. ss.): εἴθε δ' ὑπὲρ κεφαλὰν (-ᾶς B) ἔβαλεν κακὸν | ἁ τεκοῦσά νιν μόρον (Zoellner.; l. mscr. Πάριν) | πρὶν Ἰδαῖον κατοικίσαι λέπας, | ὅτε νιν παρὰ θεσπεσίῳ δάφνᾳ | βόασε Κασάνδρα κτανεῖν κ. τ. λ. Nam inde apparere Roberto videtur Paridem pervulgata quadam fabula non expositum, sed contra consilium Cassandrae domi incolumem conservatum educatumque esse perhibitum; occisioni nimirum conservationem, non expositionem contrario nomine oppositam esse contendit. Sed perperam ita interpretari virum doctum iam pridem demonstrarunt M. Mayer (De Euripidis mythopoeia capita duo. Diss. Berol. 1883. p. 55./56.), G. Wentzel (l. l. p. 34./5. n. 29.), F. Zoellner (l. l. p. 104./5.). Quorum argumentis haec addo: Sine dubio aliud est ‚necare', aliud ‚exponere'; nam qui infantem necat, ipse momentum affert, qui eum exponit, dis permittit eventum.[1]) Atque etiam ab ipso Euripide alio quoque loco τὸ ἐκθεῖναι τῷ κτανεῖν opponi persuasum mihi habeo, Troadum dico v. 919. ss.

> πρῶτον μὲν ἀρχὰς ἔτεκεν ἥδε τῶν κακῶν
> Πάριν τεκοῦσα, δεύτερον δ' ἀπώλεσε
> Τροίαν τε κἄμ' ὁ πρέσβυς οὐ κτανὼν βρέφος
> δαλοῦ πικρὸν μίμημ' Ἀλέξανδρόν ποτε.

Πρεσβύτου nomine Robert hic illum servum significari putat, cui Priamus mandaverit, ut puerulum interficeret. At vero oblitus est vir doctissimus omnes antiquiores auctores inter se concinere narrantes famulum a rege iussum esse Paridem exponere, non occidere (cfr. Iphig. Aulid. v. 1285.; Ps. Apollod. l. III. c. 12., 5., 4.; schol. Eur. Andr. v. 294.). Quibus testibus confisus nonne rectissime auctoritatem Hygini (fab. XCI.) hic plane neglegendam esse iudico, cum praesertim ne ille quidem unum quendam servum ad caedem perpetrandam electum esse dicat? Deinceps respicienti consilium ac rationem cum totius orationis Helenae tum versus 919. mihi non dubium est, quin Helena culpam calamitatis in Hecubae familiam transferre praecipue studeat. Quid igitur evidentius quam πρέσβυν proprie hic ab Euripide τὸν πρέσβυν κατ' ἐξοχὴν appellari, Priamum? Item ab eodem poëta πρέσβυς pro nomine Priami substituitur Hecub. v. 161. (φροῦδος πρέσβυς cfr. Troad. v. 41. φροῦδος δὲ

---

[1]) v. Schoemannum-Lipsium, Gr. Alterth. $I^4$ p. 545./6. et 546. adn. 1.; Lipsium, att. Proc. p. 528. et adn. 135.

Πρίαμος). Quam interpretationem quicumque comprobat, eum mecum consentire oportet verbis ‚οὐ κτανών‘ cogitatione subiiciendum esse ‚ἀλλ᾽ ἐκθείς‘. Troadum enim in his versibus Euripidem de Paride exposito cogitare nemo negare potest, quoniam haec fabula eiusdem tetralogiae est cuius Alexander, qua in fabula de exposito Paride actum esse constat. Quae cum ita sint, apparet in eandem partem Andromachae quoque quos supra laudavimus versus accipiendos esse: Interficiendum fuisse Paridem, non exponendum chorus dicit, nam nisi expositus esset, non futurum fuisse, ut servaretur.

Litterarum igitur omnibus quae supersunt monumentis quinti a. Chr. n. saeculi unam eandemque fabulam de Paridis educatione exhiberi Mayer, Wentzel, Zoellner (l. l.) iure statuerunt. Neque artificis ullius ullo opere aliam de illius pueritia narrationem designari certis argumentis comprobari potest. Nam quod Robert (l. l. p. 90. ss., 239.) Brygi pictoris in patera (Mon. d. I. 1856 t. XIV.; Wien. Vorlegebl. VIII. t. 3.)[1]) alius cuiusdam formae fabulae rationem haberi existimat, errare eum R. Engelmann (lex. Rosch. I$^b$ p. 1968.) plane ostendit. Neque ‚regium‘ vestitum, quo indutum Alexandrum cum in recentioribus multis tum in antiquioribus compluribus vasis alteri dimidio quinti a. Chr. n. saeculi adiudicandis[2]) depictum conspicimus, iure ad simpliciorem illam memoriam revocari Wentzelio (l. l. p. 9. et adn. 5.) concedere possum. Immo potius ad pastorem regium tali veste exornandum illi artifices aliis causis mihi videntur perducti esse: Noli neglegere quicumque pictorum in depingendo iudicio de tribus deabus facto rusticanum illum adulescentem nondum ut Priami filium cognitum regiamque in domum receptum regio genere natum esse etiam specie eius indicare voluit, eum hoc nullo modo efficere potuisse nisi Paridem regali ornatu insignientem. Neque artifex, quod gravius est, Alexandrum ut barbarum ita dilucide notare potuisset, si eum pastorali vestitu instruxisset. Summi vero momenti est, quod illius aetatis (i. e. exeuntis iam quinti a. Chr. n. saeculi) pictores variegatis vestibus depingendis eximie delectatos esse scimus. Nam ex hoc iure concludimus eos Alexandrum in usitatissima ex paucis iis typicis imaginibus, in quibus ille, ut ita dicam, togatus aderat, non tam veritati quam pulchritudini ac splendori operam navantes tali ornatu induisse. Ergo non est, cur in his vasculis simpliciorem illam formam fabulae expressam esse putemus. Quae omnia si recte

---

[1]) cfr. Urlichsium, Der Vasenmaler Brygos p. 4.; Kleinium, Meistersign². p. 179.

[2]) cfr. A. Milchhoeferum, Jahrb. d. J. IX. (1894) p. 57. ss. sed v. etiam C. Robertum, 18. Hall. Winckelmannsprogr. 1895 ‚Die Marathonschlacht.‘ p. 71. ss.

statuimus, elucet quinto a. Chr. n. saeculo nullam aliam de Paridis pueritia fabulam in vulgus editam fuisse atque hanc de Paride exposito narrationem. Inde efficitur satis improbabile esse eam, ut Robert (l. l. p. 237./238.) coniectat, primum quinto a. Chr. n. saeculo a poëta tragico (a Sophocle potius quam ab Euripide) excogitatam esse.[1]) In Cypriis autem fabulam celeberrimam itemque veriloquium Alexandri nominis artissime cum ea coniunctum narratum fuisse nihil obstat, quominus cum Welckero (l. l.), Wentzelio (l. l. p. 8. ss.; 34. ss.), Zoellnero (l. l. p. 105., 107.) consentiamus. Neque tamen equidem tam paucis naufragiis carminum epicorum lyricorumque servatis certam coniecturam proferre ausim.[2]) Sed satis habeo constituere Euripidem hoc veriloquium non ipsum invenisse, sed ab antiquiore aliquo poëta sive epico sive lyrico[3]) deprompsisse.

Paridis nomen eundem Euripidem ipsum suo Marte fabella de Paride ἐν τῇ πήρᾳ posito inventa interpretatum esse suspicatur Ew. Bruhn (Lucubr. Eurip. p. 303.) coll. schol. M A ad Euripid. Andr. v. 293.[4]) Certe dubitari non potest, quin Euripides in Alexandro fabula Paridis quoque nomen enodaverit (cfr. fr. 64 N.[2] = Enn. fr. V. R.[3] ‚quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant'). [5]) Attamen utrum hoc an aliud veriloquium protulerit, in suspenso relinquendum est. Traduntur enim etiam duae aliae originationes Paridis nominis, quarum altera (schol. Il. c. XII. v. 93.; et. m. p. 634., 25.), a παριέναι (τὸν μόρον), altera (Hesych. s. v. Δύσπαρι) a πηροῦν (τῷ κάλλει τοὺς ὁρῶντας αὐτόν) ducitur. Atque ipsa narratio schol. Andr. v. 293., qua Paris a πήρα denominatus esse fertur, ab argumento tragoediae Euripideae non nihil videtur discrepare, si modo Wentzel (Ἐπιθαλάμιον p. 38./39.) et Zoellner (Anal. Ovid. p. 106./7.) de somnii Hecubae apud Euripidem interpretatione recte iudicarunt.[6]) Praeterea etiamsi Euripidem hoc veriloquium exhibuisse concedamus, nequaquam decernere possumus, utrum id ipse excogitaverit an ab antiquiore aliquo poëta mutuatus sit; nam in vetustiore illa de Paride

[1]) cfr. etiam Wentzelium l. l. p. 35./36.

[2]) Certe animadvertendum est apud Euphorionem, Lycophronem, Lucianum, Colluthum aliam formam fabulae simpliciori illi narrationi a Roberto divinatae simillimam reperiri (v. Zoellnerum l. l. p. 101./103.).

[3]) A Stesichoro Euripidem id mutuatum esse M. Mayer (l. l. p. 56./58.) nullo argumento prolato anguratur.

[4]) cfr. schol. Il. XII. v. 93.; et. m. p. 654., 35. (v. Schwartzium, schol. Eurip. Andr. l. l.).

[5]) Utique antiquiores quosdam auctores Paridis nomen explicasse testantur Ps. Apollod. l. III. c. 12., 5., 4. (-ὀνομάσας Πάριν) et Hygin. fab. XCI. (-Parim nominaverunt.)

[6]) Apud Euripidem Apollo consulitur (cfr. Ribbeckium, Roem. Trag. p. 81. ss.), apud schol. Andr. l. l. vatum concilium (οἱ μάντεις).

exposito memoria utrumque nomen eius, cum utrumque in Homeri carminibus reperiretur, et usurpatum et enodatum fuisse in propatulo est.

2. Andromachae nominis ἔτυμον Euripidem (fr. inc. 1094, N.[2]) posuisse Varro (de l. L. VII., 82.) his verbis prodit: ‚ille (Euripides) ait ideo nomen additum Andromachae, quod ἀνδρὶ μάχεται'. Hoc veriloquium ex antiquiore fonte ab Euripide delibatum esse cognoscimus pulchram illam pateram a Brygo pictam[1]) inspicientes, in qua Andromacha pilo mortarii hostem aggrediens repraesentata est. Brygum enim iam ante annum 480. a. Chr. n. in arte sua floruisse scimus.[2]) Iam videamus, ut accuratius definiamus, unde haec fabula fluxerit. Considerantibus autem nobis cum pateram Brygi, in qua Andromacha Astyanactem aufugientem defendens[3]) picta est, tum argumentum fabulae ad exemplum Euripideae ab Ennio conscriptae (Andromachae aechmalotidis), in qua egregium hoc facinus Andromachae commemoratum fuisse summo iure Ribbeck (Roem. Trag. p. 136.) statuit, ipsa haec narratio ita reficienda est, ut contendamus uxorem Hectoris ideo in hostem impetum fecisse, ut carissimum filium servaret, et revera servasse eum, tunc saltem e taeterrima nyctomachia. Nam Astyanactem in hac tragoedia Enniana vel Euripidea post Troiam expugnatam occisum esse facile intellegitur e fragmentis (impr. VII., XII.) cum Troadibus Eurip. v. 1133. ss. collatis.[4]) Videmus igitur eximiam hanc de virtute Andromachae fabulam e carmine repetitam esse, in quo puer e nocturna caede elapsus post interitum Ilii supremum diem obisse narrabatur. Atque post Ilium expugnatum Astyanactem a Graecis necatum esse Arctinus perhibuit (Procl. Chrest. ἔπειτα ἐμπρήσαντες τὴν πόλιν κ. τ. λ. καὶ Ὀδυσσέως Ἀστυάνακτα ἀνελόντος.[5]) Neque tamen ad huius

[1]) cfr. Heydemannum, Iliupers. t. I.; Wien. Vorlegebl. VIII., t. 4 A.; Robertum, Bild und Lied p. 61. ss.; Kleinium, Meistersign.[2] p. 180. ss.; Urlichsium, Beitr. z. Kunstgesch p. 62. ss. — cfr. etiam egregiam illam urnam olim in coll. Vivenzio conservatam (Mus. Nat. Neapol. n. 2360./2422. Heydem.), cuius pictura exscripta est apud Heydemannum l. l. t. II., 1.; ap. Overbeck., Gall. her. B. t. XXV., 24.; ap. Baumeister. Denkm. f. 795.

[2]) v. P. Hartwigium, Griech. Meistersch. p. 1. adn.; p. 308.

[3]) Quod in altera parte paterae puerulum a Neoptolemo pede arreptum conspicimus, quem eundem in compluribus vasculis vetustis (n. f. o.) Astyanactis nomine significatum invenimus., eo cave perducaris, ut puero e pugna avolanti nomen Astyanactis perperam adscriptum esse concludas. Patet enim Brygum diversos ‚typos' in unam ampliorem descriptionem excidii Troiae confudisse.

[4]) v. Ribbeckium l. l.

[5]) Item in Troadibus Eurip. Astyanax post nyctomachiam interficitur Ulixe suadente (Troad. v. 709. ss.). cfr. etiam Robertum, 17. Hall. Winckelmannsprogr. 1893. ‚Iliupersis.' p. 75./77. In eadem fabula

poëtae Iliupersidem veriloquium Andromachae nominis ob unam hanc causam temere revocare licet. Nam quamquam Leschen de morte Astyanactis alia tradidisse scimus (fr. 18. K.), tamen Stesichorus quid de ea exhibuerit, in ambiguo est (fr. 20 B.[4]).[1]) Praeterea Hagiam quoque in carmine epico, quod *Ἀργολικά* inscriptum erat, de excidio Ilii narrasse Wilamowitz probavit (Homer. Unters. p. 180. adn. 26.). Atque etiam in Cypriis de Iliuperside actum esse F. Noack demonstravit (Iliupersis. Diss. Giss. 1890. p. 80. ss.).[2]) Hunc autem virum doctum iure omnia quae in Cypriis ad Iliupersidem pertinuerunt vaticinationibus tribuere nego.[3]) Ea enim quae schol. MA ad Eurip. Hecub. v. 41. de Polyxenae et morte et sepultura accurate ac plene traduntur[4]), non vaticinationem sed veram narrationem redolere mihi quidem videntur. Quod si recte statuo delibero an recte Stasino apud Clem. Al. Strom. VI. p. 265. (625. A.) Sylb. (= p. 747. Pott.) tribuatur ille versus: ‚*Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει.*‘ Quem versum, cum fere idem in Troadibus Euripideis (v. 723. — *ἀρίστου παῖδα μὴ τρέφειν πατρός*) legatur, iure iam Welcker (Ep. Cycl. II[2] p. 187.)[5]) ad hanc de Astyanacte post Troiam captam necato fabulam rettulit. Videntur igitur etiam Cypria narrasse Astyanactem e nocturna caede servatum esse, postea concilio Graecorum iubente interemptum esse.[6]) Quae cum ita

---

Astyanactem puerum iam paullo maiorem natu induci cum v. 782. ss. *ἄγε παῖ — βαῖνε πατρῴων πύργων ἐπ᾽ ἄκρας στεφάνας*) tum v. 1182. ss. (‚*ὦ μῆτερ*‘, *ηὔδας κ. τ. λ.*) docent. Quod non viderunt M. Mayer (de Eur. myth. p. 53.) et F. Noack (l. l. p. 30., 33.), quorum uterque Astyanactem hic infantem in sinu matris conditum esse e versu 570. perperam collegit.

[1]) A Stesichoro Andromachae facinus narratum esse Robert (Bild u. Lied p. 79.) suspicatur. — Etiam Ibycum de Iliuperside verba fecisse e fr. 36. discimus.

[2]) cfr. etiam Bethium, Herm. XXVI. p. 595. ss.

[3]) Sententiam Noackianae simillimam profert Ric Wagner, Fleckeisens Jahrb. 145 1892. p 246./247. Recte iudicat Bethe l. l. p. 595/6.

[4]) *ὁ τὰ Κυπριακὰ ποιήσας* idem est atque *ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας* v. Kinkelium. fr. ep. p. 16.; Noackium l. l. p. 80. et adn. 1.; Bethium l. l. p. 595. adn. 2.

[5]) v. praeterea Kl. Schr I. p. 357. ss.

[6]) Certe epicos varias formas huius eiusdem fabulae exhibuisse iam eo satis probatur, quod duae saltem adhuc apud tragicos servatae sunt: In Troadibus Eur. Andromacha filium apud se retentum habet, in Astyanacte Accii (qua fabula Accium Aechmalotides Sophoclis imitatum esse Welcker coniecit) eum occultat, hic vates (Calchas) auctor est pueri necandi, illic Ulixes. Accianae fabulae simillima sunt quae Seneca in Troadibus (v. 409. ss.), interpolator Servii (ad Aen. III. v. 489.) de Astyanacte exhibent (cfr. de hac forma fabulae M. Mayerum, de Eurip. myth. p. 52./53.). v. etiam Ps. Apollod. epit. l. V. c. 23, ubi auctor facinoris non nominatur. Praeterea Astyanactem

sint, de auctore veriloquii Andromachae nominis certiorem coniecturam capere non possumus.

3. Dolonis nomen a vocabulo δόλος ductum esse auctor Rhesi (v. 158.) expressis verbis pronuntiat et hoc veriloquium miro additamento illustrat. Inducit enim dolosum speculatorem lupi pelle tamquam persona indutum (v. 208./215.; 254./257.). Homeri autem in carmine X. (v. 334.) Dolon pelle lupina non pro persona, sed pro amiculo utitur, ut recte monet schol. Rhes. v. 210.: *ἀπίθανον τετραποδίζειν αὐτὸν ὡς τοὺς λύκους· οὐδὲ γὰρ Ὅμηρος διὰ τοῦτο τὴν λυκῆν αὐτῷ περιτίθησιν.*[1]) Neque tamen primum hunc tragicum Homericam descriptionem in illam sententiam interpretatum artificium Dolonis machinatum esse calix docet Euphronii.[2]) In eo enim Doloni pellis lupina ita induta est, ut stricta singulos artus exprimat. Atque etiam evidentius significatur astutia Dolonis in vasculo musei imperialis Petropolitani (n. 879.)[3]). Euphronii autem calix priori dimidio quinti a. Chr. n. saeculi adscribendus est, et eidem aetati urnam Petropolitanam fere aequalem esse veri simile est. Elucet igitur ab antiquiore auctore hanc de dolo Dolonis fabellam manasse. Atque Hipponactis in carmine quodam Doloniam Homericam in risus deflectente eam narratam fuisse Franciscus Studniczka (Jahrb. d. arch. Inst. V. [1890] p. 145.) suspicatus est coll. fr. 42. B.[4].[4])

4. Cassandrae nomen Euripides videtur interpretari Hecub. v. 826./827.:

*πρὸς σοῖσι πλευροῖς παῖς ἐμὴ κοιμίζεται*
*ἡ φοιβάς, ἣν καλοῦσι Κασ-άνδραν Φρύγες.*

omnino non a Graecis necatum esse, sed servatum postea in Troade regnasse nonnulli auctores tradunt (Xanthus ap. Strab. p. 680.; Hellanicus (?) apud Dionys. Hal. l. I. c. 47. (cfr. c. 48. init.); Anaxicrates ap. schol. Eur. Andr. v. 224.; Dionysius Chalcid. ap. schol. Eur. Andr. v. 10.; Nicolaus Dam. ap St. B. s. v. *Ἀσκανία*; Conon fab. 46.; Strabo p. 607.; Abas qui Troica scripsit ap. interp. Serv. Aen. l. IX. v. 262.; Steph. B. s. v. *Ἀρίσβη;* schol. Il. c. XXIV. v. 735.). Sed animadvertendum est praeter Abantem et scholiastam Il. l. l. omnes hos auctores alterum nomen Astyanactis, Scamandrium (v. Il. c. VI. v. 402./403.) exhibere!

[1]) cfr. Fr. Studniczkam, Beitr. z. Gesch. d. gr. Tracht p. 71.

[2]) Mon. ds int. II. 10., A.; Wien. Vorl. V. 5., 1.; Klein., Euphr.[2] p. 137.; cfr. Robertum, Arch. Zeit. 1882. p. 47.; Kleinium l. l. p. 136. ss., imprimis p. 141. ss.; Meistersign [2] p. 140.; Hartwigium, Meistersch. p. 481.

[3]) v. Th. Schreiberum, Annal. dell' Inst. 1875, t. d'agg. Q 1., 2.; R, 1.; p. 324. ss.

[4]) Alterum adminiculum coniecturae e pictura sarcophagi Clazomenii (Ant. Denkm. I. t. 44.) petitum Studniczka nunc aliis eiusdem generis monumentis repertis et in publicum usum exscriptis ipse labefactatum esse censet. cfr. etiam R. Zahnium, Die Darstell. d. Barbaren in griech. Litt. u. Kunst (Dissert. v. Heidelberg 1896). p. 64./65. et p. 65. adn. 3.; eundem, Athen. Mitth. XXIII. (1898) p. 60. ss.; Murrayium, Monum. Piot IV. p. 39, t. IV A, VI F.

Nam his verbis Hecuba Agamemnonem pulchritudinis suae filiae commonefaciens sibi conciliare studet.[1]) Hoc autem veriloquium ab Euripide significatum, quo Cassandrae nomen excellentem (pulchritudine) declarare sumitur[2]), si non epicum est, certe non abhorret ab epica imagine virginis (v. Il. c. XIII. v. 365. — *Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην*; c. XXIV. v. 699. — *ἰκέλη χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ*).

5. Polydori nominis explicationem quandam latere opinor in Hecubae Eurip. v. 10. Dicit enim illic poëta una cum Polydoro *πολὺν χρυσὸν* ad Polymestorem missum esse. Nonne credibile est ex ipso nomine Polydori (Il. c. XX., v. 407.; c. XXI. v. 91.; c. XXII. v. 46. commemorato) posteriores hanc de custode gazae Troianae narrationem elicuisse? Ab ipso Euripide totam de Polydoro fabulam excogitatam esse F. Noack (Iliupers. p. 6./7) contendit. Neque tamen intellego cur non antiquior poëta ante Euripidem eam invenire potuerit, praesertim cum aliam de Polymestore fabulam ex antiquiore quadam memoria ab Euripide depromptam esse ipse idem Noack (p. 9. ss.) moneat.[3])

6. Astyanactis nomen obscoeno veriloquio enodatur a comico incerto fr. inc. 744. (K.) = Eustath. p. 862., 43. ‚— *καὶ ἄστυτος ἐλέγετο, καθὰ καὶ ἄστυτος οἶκος* (Xenarch. I, 4.) *ὁ ἔχων ἄνδρα ὃς ἔχοι ἂν λέγειν .... τὸ Ἀστυάναξ γέγονα.*‘ Eadem autem ratione Graecorum quoque nonnullorum nomina a Graecis explicantur veluti Merionae, Paeonidae, aliorum.[4])

### γ) De nominibus Homericis, quae Troianis Homero ignotis induntur.

1. Andraemon pater Andromachae appellatur idemque Lyrnessi regnasse praedicatur ab Aeschylo (Phryg. fr. 267. W. = N.[2]) Apud Homerum (Il. c. VI. v. 395./397.; 416.; c. IX.

---

[1]) cfr. schol. MB l. l. — *καθομιλοῦσα τοῖς καιροῖς καὶ λέγουσα ταῦτα δι' ὧν ἔμελλε θηρᾶσθαι βοήθειαν.*

[2]) Revera *Κασσάνδρα* nomen e radice *κασ, καδ* (pr. *καίνυμαι* excello) et radice *ανδρ* (n. *ἀνήρ*) iunctum esse iam pridem viri docti viderunt: Pape-Benseler (Eigenn. s. v.), Hinrichs (Philol. 44. p. 403.); Fick-Bechtel (Personenn. p. 394.).

[3]) Neque magis licet cum Noackio (l. l. p. 5./6.) statuere ‚Euripidem ipsum demum‘ fabulam Polydoream cum fabula Polyxenia coniunxisse. Utraque enim in eodem carmine epico narrata fuisse potest: Primum phantasmate Achillis iubente Polyxena in Troade immolata est. Deinde Achaei Chersonesum traiecerunt et illic, cum sive adverso vento (cfr. Hecub. v. 900.) sive alia de causa retinerentur, corpus Polydori repertum est eiusque interfectorem Hecuba punivit. Pro certo igitur nihil affirmari potest nisi hoc: Euripidem ipsum ut poëtam tragicum duas res cum tempore tum loco inter se distantes unum in locum unumque in diem contulisse (v. schol. v. 521. *αἴτημα σκηνικόν*).

[4]) cfr. Nauckium, Aristoph. Byz. fr. p. 165. adn. 3.

v. 188. etc.) Andromacha filia Eetionis regis est Thebis in oppido Troadis habitantis. Ab eodem Homero (Il. c. II. v. 638.; c. VII. v. 168.; Od. c. XIV. v. 499.) Andraemonis nomine pater Thoantis nuncupatur ducis Aetolorum. Aetoli autem alius herois, Eueni[1]), nomen iam apud eundem Homerum idem Lyrnessio cuidam heroi inditum reperimus (Il. c. II. v. 693. cfr. Strab. p. 584., 612.). Quod cum ita sit, nonne veri simillimum est Andraemonis quoque Aetoli exemplar iam vetusta aetate Lyrnessum translatum esse? Neque tamen quo in carmine Lyrnessius hic Andraemon primum commemoratus sit neque quo in carmine cum Andromacha coniunctus sit, accuratius ne coniicere quidem possumus. Aeschylus autem cur in Phrygibus Lyrnessiam hanc genealogiam Andromachae adhibeat, in aprico est. Lyrnesso enim Briseis oriunda est, quae eximie ab Achille amatur (v. Il. c. II. v. 690 ; c. XIX. v. 60.; v. 295.). Achilli autem supplicantem Andromacham Lyrnessiam poëta in hac fabula inducit.

2. Chrysae nomine eodem, quod in Iliade patri Chryseidis est (Il. c. I. v. 11. etc.), filius quidam Chryseidis eiusdem et Agamemnonis apud Sophoclem in Chrysa fabula (fr. 658./662. N.[2]) appellatus videtur fuisse[2]), quam tragoediam Sophocleam Pacuvium cognomini sua tragoedia imitatum esse satis probabile est (fr. I./XXI. [= v. 76./v. 102.] R.[3]).[3]) De altero hoc Chrysa nepote sacerdotis ab Homero commemorati antiquiora testimonia non exstant.[4]) Neque in ipsa fabula, quae de Chrysa narratur (Hygin. f. 120., 121.), certa indicia reperiuntur, quibus eum antiquiori memoriae adiudicandum esse ostendatur. Quare si quis Sophoclem primum eum finxisse contendat, eum redarguere non possum. Sed equidem cum Welckero (Gr. Trag. I. p. 60. fr. III. p. 1380., 1486.) facere malim, qui Chrysam minorem iam in epico quodam carmine ‚Reditum Atridarum‘ vel ‚Orestēam‘ propagante versatum esse suspicatur.

3. Ancialum nomen filio cuidam Andromachae et Neoptolemi in Hermiona fabula Livii Andronici, qua eum exemplum Sophocleum imitatum esse iam Welcker (Gr. Tr. I.

---

[1]) v. Il. c. IX. v. 557. *Εὐηνίνης* (*Μαρπήσσης*); Hesiod. theog. v. 345.; Ps. Apollod. l. I. c. 7., 8. etc.
Eueni nomen idem et fluvio Aetoliae (Thucyd. l. II. c. 83., 3. etc.) et fluvio ‚Mysiae‘ (Strab. p. 614. etc.) est. — Praeterea Marpessae Aetolae e nomine Marpessus oppidum Troadis (Paus. l. X. c. 12., 3.) videtur appellatum esse.

[2]) cfr. Naekium, Opusc. I. p. 91.; Welckerum, Griech. Trag. I p. 210./215.

[3]) cfr. Ribbeckium, Roem. Tragoed. p. 248./260.

[4]) cfr. Sybelium in lex. Rosch. I[a] p. 902. Tuempelium ap. Wissowam III. p. 2497./2498.

p. 219. ss.) coniecit, inditum fuisse idem vir summus suspicatus est coll. Hygin. fab. 123., ubi Amphialus quidam filius Andromachae et Neoptolemi commemoratur, cum uno illo fragmento Hermionae Livianae, quod servatum est (= Liv. v. 23. R[3]): ,'Obsecro te, Ancíale, matri né quid tuae advorsús fuas.' Welckero Ribbeck (Roem. Trag. p. 31.) adstipulatus est, qui recte monuit non licere alterum nomen ad exemplum alterius mutare. Sed *Ἀγχίαλον* Hermionae filium et Neoptolemi fuisse tradunt Asclepiades et Sosiphanes (ap. schol. Eur. Andr. v. 32.). Quam ob causam veri simillimum mihi videtur Livianum quoque Ancialum Hermiona natum fuisse, praesertim cum in tragoedia Sophoclea Andromacha omnino non inducta fuisse videatur (fr. Eustath. Odyss. p. 1479, 10; schol. Odyss. c. IV. v. 4.; v. Nauckium, FTG[2] p. 176.). Ancialum igitur ab utroque parente Graecum fuisse iusta suspicio est. Amphialus autem filius Andromachae Troianae utrum in tragoedia aliqua sive commemoratus fuerit sive ipse prodierit necne, e fabula (123.) Hygini nequaquam diiudicare possumus.

Apud Homerum utrumque nomen et Anchiali et Amphiali Graecis quibusdam inditum reperimus.[1]) Item in Polygnoti Iliuperside duobus Graecis alteri Anchiali alteri Amphiali nomen adscriptum fuit.[2]) Neque tamen his Graecis ulla ratio aut cum Neoptolemo aut cum Andromacha aut cum Hermiona intercedit. Incertum igitur est, unde nomina horum filiorum Neoptolemi manaverint. Quamquam Welckerum (Gr. Trag. I. p. 60.) secutus augurari velim iam carmina quaedam ,Reditum Neoptolemi' propagantia ea exhibuisse.

4. Cissei nomine pater Hecubae ab Euripide nuncupatur Hecub. v. 3. Euripidem Ennium et Pacuvium secutos esse Servius (ad Vergil. Aen. l. VII. v. 320.) testatur.

In Iliade Dymas Phrygius quidam rex pater Hecubae esse perhibetur (Il. c. XVI. v. 718.), Cisses (*Κισσῆς*) Thracius quidam rex pater Theanus, uxoris Antenoris (Il. c. VI. v. 299.; c. XI. v. 223./224.). Homericus hic Cisses utrum idem atque Cisseus Euripideus sit necne, in ambiguo est.[3]) Attamen certe Euripideus quoque Cisseus in Thraciam videtur adscribendus esse, cum idem nomen et illic et in Mace-

---

[1]) Anchialus appellatur Graecus ab Hectore interfectus (Il. c. V. v. 609.), Taphius pater Mentae (Odyss. c. I. v. 180.), Phaeax quidam (Odyss. c. VIII. v. 112.); Amphialus Phaeax quidam (Odyss. c. VIII. v. 114., 128.).

[2]) De Amphialo v. Pausan. l. X. c. 25., 3.; de Anchialo v. Pausan. l. X. c. 27., 3.

[3]) sed v. schol. (M) in Eur. Hec. v. 3.: *οὗ (Κισσέως) καὶ Τηλεκλείας τῆς Ἰλου Ἑκάβην καὶ Θεανώ.* cfr. schol. Il. c. XVI. v. 718.

donia saepius reperiatur.[1]) Quod respiciens H. Weil (Sept trag. d'Eur. p. 207.) Cisseum ideo patrem Hecubae factum esse coniecit, ut explicaretur, cur Polydorus ad Polymestorem Thracem missus esset; eamque ob causam eum ab eodem fonte repetendum esse statuit atque Thraciam illam de Polydoro fabulam. Sed rectissime F. Noack (Iliupers. p. 7.) monuit, si Polymestor cum Hecuba ulla necessitudine coniunctus fuisset, Euripidem ‚ad eius facinoris foeditatem cumulandam id nec silentio praeteriturum neque eum saepissime nisi hospitem non appellaturum fuisse'. Quae cum ita sint, requirendum est, aliane Thracia fabula de Hecuba narrata sit. Atque praesto est celeberrima illa narratio, qua misera regina Chersonesi in canis figuram mutata obisse et sepulta esse traditur.[2]) Hac igitur in fabula Cisseum Thracem Hecubae patrem attributum fuisse augurari velim[3]), quod idem iam Noack (l. l. p. 10., sed v. p. 8. ‚eas fabulas') videtur suspicatus esse. Quod autem totam hanc fabulam in coloniis ab Atheniensibus Chersonesum deductis ortam esse idem vir doctus existimat (l. l. p. 10. et adn. 3.), argumenta ab eo prolata nimis incerta esse arbitror; nam Eetion et Erichthonius, quorum hunc avum, illum patrem Cissei perhibet schol. M. Hecub. v. 3., etiamsi utrumque ex Attica oriundum esse concedamus, quo tempore cum Cisseo coniuncti sint, prorsus ignoramus.

Iam nihil de nominibus Homericis addendum est. Quare colligo atque commoneo haec:

Quae in nominibus Homericorum Troianorum novata apud tragicos leguntur formae et veriloquia non ab iis ipsis inventa, sed ex antiquioribus fabulis deprompta sunt. Item quae nomina Homerica in Troianos Homero ignotos trans-

---

[1]) Cisseus Thracius commemoratur a Vergilio (Aen. l. V. v. 535./536.); Cisseus Macedo ab Euripide (Archel. fr. 229. N.[2]), ab Hygino (fab. 219.); Cissus mons Macedoniae a Lycophr. v. 1237.; Nicandr. Th. v. 804.?; Cissus oppidum Macedoniae a Strab. p. 330. fr. 21., 24. — *Κισσός* cum insigne tum etiam nomen Dionysi est (Pausan. l. I. c. 31., 6.), qui Thracius in hac ipsa tragoedia vocatur (Hecub. v. 1267. *ὁ Θρῃξὶ μάντις — Διόνυσος*). Idem *Κισσεύς* videtur appellatus esse (v. Aeschyl. fr. inc. 341. = Macrob. Sat. I., 18., 6.: ‚Euripides — Apollinem Liberumque unum eundemque deum esse significans scribit —; ad eandem sententiam Aeschylus: *ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ Βακχεύς, ὁ μάντις.*' cfr. etiam Ael. Aristid. or. L. c. 39. (Keil.).

[2]) cfr. poet. lyr. inc. fr. 101. (B.[4]); Eurip. fr. inc. 968. (N.[2]); Eurip. Hecub. v. 1261. ss. Ps. Apollod. epit. l. V. c. 24. etc. v. Noackium l. l. p. 4., adn. 3. (p. 8.)

[3]) Animadvertendum puto, quod Hecuba Hygini fabula 111., qua canis facta in mare se praecipitasse narratur, Cissei potissimum filia praedicatur (‚Cissei filiam, vel ut alii auctores dicunt Dymantis —').

lata apud eos reperiuntur, ex vetustiore memoria videntur manasse. Atque etiamsi ipsos tragicos quaedam mutasse non negemus, certe nihil videmus illis novatis inesse, quo Troibus externa alienaque species concilietur. Non magis comici, cum in nomina sive novis formis sive novis veriloquiis excogitatis iocati sunt, eiusmodi consilium ostenderunt.

## b) Percensentur ea nomina, quae neque apud Homerum neque apud cyclicos servata sunt.

1. Hesionae nomen filiae Laomedontis inditum reperimus apud Naevium, qui Aesionam[1]) tragoediam nunc quidem deperditam inscripsit (v. Ribbeckium, FTR[3] p. 7.; Roem. Trag. p. 44. ss.). Haec Hesiona in Teucro quoque fabula incerti tragici Graeci nominatim videtur commemorata fuisse (v. Aristot. rhetor. l. III. c. 15. p. 1416. b. 1.)[2]), et eadem herois iam Aiac. Soph. v. 1300./1303., quamquam nullo nomine appellatur, tamen aperte significatur. Antiquiore autem e memoria eam a tragicis petitam esse inde facile intellegitur, quod iam ab Hellanico fabulae quaedam epicam originem resipientes de ea narratae sunt (FHG I. p. 64. fr. 136., 138.; [p. 63. fr. 133.?]).[3]) Atque ab auctoribus quibusdam cum Herculis tum Telamonis Aiacisque laudes praecipue celebrantibus (Aeginetis?) eam in fabulas Troicas inductam esse contendere audeo. Demonstrabimus enim infra (appendic. p. 58. ss., 63. ss.) Hesionam primitus veram meramque Graecam, iustissimam uxorem Telamonis fuisse, postea, ut Teucer filius eius detrectaretur, a fautoribus Aiacis in paelicis ordinem detrusam et propter Telamonis adversus Troiam expeditionem captivam Troianam factam esse.[4])

---

[1]) De forma Aesiona v. Buechelerum, Rh. Mus. XXVII. p. 475.

[2]) Perperam Spengel (ed. Arist. rhet. (ad l. II. c. 23.) p. 306.) hoc fragmentum Teucro Sophocleo attribuit. cfr. Nauckium, FTG[2] p. 256.

[3]) cfr. Rol. Koehlerum, Analecta Hellanicea (= stud. Lips. philol. vol. XVIII. p. 211. ss.): de fragm. 136. M. — p. 268. ss., de fragm. 138. M. — p. 279. ss.; de fragm. 133 M. a Koehlero aliquantum circumciso — p. 278. — v. praeterea Xenoph. de venat. c. I., 9. (Saupp.) Diodor. l. IV. c. 32., 42.; Ps. Apollod. l. II. c. 5., 9., 11.; c. 6., 4., 4.; l. III. c. 12., 3., 8.; c 12., 7., 3.; — Val. Flacc. Argonaut. l. II. v. 451. ss.; l. IV. v. 164.; Hygin. fab. 89.

[4]) Forsitan dicat quispiam hanc coniecturam eo dilui, quod Hesiona iam in ea fabula, qua Hercules solus Troiam venisse ibique Laomedonti auxilio fuisse narratur, graviores partes agat. Sed nequaquam longiore illa de Hesiona exposita narratione opus est, ut explicetur, cur Laomedon opem ab Hercule petierit. Auxilii enim petendi id satis causae fuisse arbitror, quod belua marina *τούς τε παρατυγχάνοντας ἀνθρώπους καὶ τοὺς γιγνομένους καρποὺς διέφθειρεν* (Hellan. fr. 136. M. cfr. Ps. Apollod. l. II. c. 5., 9., 11. — *συνήρπαζεν ἀνθρώπους*). Hesionam igitur huic fabulae posteriore aetate insertam esse nihil impedit quominus

2. Tecmessa paelex Troiana Aiacis Telamonii apud Sophoclem appellatur (Aiac. v. 331. etc.) et apud C. Julium Caesarem Strabonem (FTR.[3] p. 263. 4. Ribb.). Antiquiora testimonia de hac heroide non exstant. Attamen animadvertendum est, quod nemo auctorum recentiorum captivam Aiacis alio nomine nuncupat.[1]) Nomen autem ipsum Graecum est (a τέκμαρ ductum cfr. Curtium-Windischium, Gr. Etymol.[5] p. 219.). Idem Amazoni cuidam inditum legitur apud Diodorum (l. IV., c. 16., 3). Quae cum ita sint, non dubito, quin Tecmessa haec Troiana ex epico aliquo carmine a Sophocle deprompta sit. Neque tamen cui poëmati poëta se adstrinxerit, accuratius eruere possumus: Aiacis mortem in duobus carminibus epicis (in Aethiopide et in Iliade parva) narratam fuisse certo scimus (cfr. Aethiop. fr. 2 et 3. [K.]; Iliad. parv. fr. 3. [K.]).[2]) Atque etiam in Cypriis utrum infuerit necne, in ambiguo est, si quidem supra (p. 25.) Cypriorum narrationem usque ad Ilii excidium pertinuisse recte coniecimus. — Eadem autem e memoria e qua Tecmessam Sophocles et patrem et filium eius videtur mutuatus esse:

3. Teleutantis Phrygis patris Tecmessae, qui Soph. Aiac. v. 210. et v. 331. commemoratur, nusquam alibi mentio fit praeter schol. L. B. ad. Il. c. I. v. 138.[3]). Nomen autem ipsum (a τελευτή derivatum, cfr. Fickium-Bechtelium, Gr. Personennam.[2] p. 410.) significatione sua Tecmessam nomen proxima necessitudine attingit.

4. Eurysacem filium Tecmessae Sophocles et in Aiace (v. 544. ss.) et in Eurysace in scaenam produxit, et idem in Teucro eius mentionem videtur fecisse. Eurysacem Sophocleum

---

statuamus. Atque ipsam hanc de Hesiona beluae obiecta narrationem a recentiore aliquo auctore ad exemplum fabulae Andromedeae expressam esse iam pridem Wilamowitz iudicavit (Herakl. I[2] p. 31. 32., adn. 61.).

[1]) v. Ciceron. de divin. l. I. c. 36., 80.; Horat. carm. l. II. c. 4 v. 6.; Ovid. art. am. l. III. v. 517.; Dict. l. II. c. 18.; Quint. Smyrn. Posthom. l. V. v. 521.; Joh. Malal. p. 42 V.; Georg. Cedren. t. I., p. 127.; Joh. Tzetz. Chil. l. III. v. 76. cfr. Lobeckium ad Aiac. v. 210.

[2]) Tecmessae Amazonis nomine facile aliquis adducatur, ut Tecmessam captivam Aiacis ex Aethiopide Amazonum cum Graecis pugnam celebrante petitam esse suspicetur. Sed Tecmessa expressis verbis filia Teleutantis Phrygis a Sophocle appellatur (Aiac. v. 210., 331.).

[3]) Serioris aetatis ab auctoribus pater Tecmessae Teuthras appellatur (v. schol. Genev. ad Il. c. I. v. 138.; Dict. l. II. c. 18. etc.). Teuthras heros vere Graecus est (v. Steph. Byz. s. v. Θέσπεια; cfr. etiam Il. c. V. v. 705. et schol.), sed idem iam antiquiore aetate in Mysiam translatus est (cfr. Hecat. fr. 345. M. = Paus. l. VIII. c 4, 9. etc., cfr. etiam Gruppium, Gr. Mythol. p. 294.). Tecmessa autem utrum revera in vetustiore aliqua memoria artiore vinculo cum hoc heroe coniuncta fuerit an a mythographo inferiore celebriori huic patri attributa sit, diiudicare non possumus.

Accius (v. FTR. p. 207. ss. fr. I^a. XXIII. R.[3]), Teucrum Pacuvius (v. FTR. p. 134. ss. impr. fr. XII. R.[3]) imitatus est.[1]) Epico autem illo e fonte non solum Eurysacis nomen, sed etiam veriloquium eius a Sophocle Aiac. v. 574./576. (λαβὼν ἐπώνυμον — σάκος) prolatum delibatum esse delibero an appareat epicis his etymis collatis:

Il. c. VI. v. 402./403. τόν ῥ Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι | Ἀστυάνακτ᾽· οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ.

Cypr. fr. 11. (K.) = Paus. l. X., c. 26., 4., 1.: τὰ δὲ Κύπρια ἔπη φησὶν ὑπὸ Λυκομήδους μὲν Πύῤῥον, Νεοπτόλεμον δὲ ὄνομα ὑπὸ Φοίνικος αὐτῷ (τῷ τοῦ Ἀχιλλέως παιδὶ) τεθῆναι, ὅτι Ἀχιλλεὺς ἡλικίᾳ ἔτι νέος πολεμεῖν ἤρξατο.

Revera Aiacis filium ex clipeo patris, insigni maxime praecipuo (v. Iliad. c. VII. v. 220./224., 245., 258./260., 266./267.; c. XVII. v. 128.), nomen Eurysacem cepisse iam Odofredus Mueller (Orchom[2]. p. 298/9 adn. 4.) perspexit.[2]) Quanta autem auctoritas huic Eurysaci praecipue in fabulis Salaminiis Nostos propagantibus attributa fuerit, vel ex eo intellegitur, quod apud Athenienses Salaminis insulae imperium summo studio sibi vindicantes etiam divinis honoribus colebatur (v. Paus. l. I. c. 35.; 3.; Harpocrat. s. v. Εὐρυσάκειον; etc.).[3])

5. Tennes heros Tenedi insulae eponymus, cuius nomen tragoediae Euripidi a veteribus criticis abrogatae (TGF. p. 578. N.[2]), Critiae a Wilamowitzio (Anal. Eur. p. 161., 166.) adiudicatae inscriptum est, iam Hecataeo (FHG. I. p. 9. fr. 139. M.) videtur non incognitus fuisse.[4]) Eundem Tennem ex antiquis temporibus ‚apud Tenedios sanctissimum deum habitum esse' complures auctores testantur.[5]) Inde probabile fit eum in carminibus epicis inductum fuisse. E poëmate Cypria propagante quodam argumentum huius tragoediae, quod de Tenne a noverca falso crimine accusato, a patre in mare exposito fuisse Welcker (Griech. Trag. II. p. 499. ss.) non sine magna specie veritatis coniecit[6]), deprompturn esse idem vir summus (l. l. p. 437., III. p. 1486.) suspicatus est. Atque vulgatam de morte huius herois

---

[1]) cfr. Ribbeckium (Roem. Trag. p. 419./425. (Eurys.); p. 224./225. (Teucr.).

[2]) cfr. etiam Wilamowitzium, Homer. Unters. p. 246.

[3]) Invenies cetera testimonia apud Papium-Benselerum, Gr. Eigenn.[3] s. v Εὐρυσάκης; v. Toepfferum, Att. Geneal. p. 278., 288./289.; Stollium in Roscheri lex. I^a p. 1430./1431.

[4]) Sed cfr. Hoeferum, ‚Conon' p. 36. adn. 12.

[5]) Cicero, Verr. act. II. l. 1., 19., 49.; Diodor. l. V. c. 83.; Plutarch. Quaest. Gr. c. 28. cfr. Hoeferum, ‚Conon' p. 33 ss.; Gruppium, Griech. Mythol. p. 304.

[6]) cfr. etiam Wilamowitzium, Anal. Eurip. p. 161. adn.

narrationem cum Tenedio embolio Cypriis inserto contendenti[1]) mihi animus eo inclinat, ut etiam ipso in carmine Cypriorum eum versatum esse existimem.

6. Ilionam filiam Priami et Hecubae Deipylumque[2]) ex ea natum qui commemoret nullum antiquiorem auctorem habemus quam Pacuvium (FTR.[3] p. 114. fr. I.—XVIII. R.[3]).[3]) Neque omnino ipsius vocabuli Ilionae vetustior exstat memoria. Attamen masculina forma eiusdem nominis[4]) Ἰλιονεύς iam apud Homerum (Il. c. XIV. v. 489.) reperitur. Deipyli vero nomen ab eodem Homero (Il. c. V. v. 325.) heroi Graeco, Stheneli socio, inditum est.[5]) Epicam igitur speciem utrumque nomen (et matris et filii) prae se fert, etsi quo tempore a quo poëta Ilionae nomen inventum, Deipyli nomen in puerum Semitroianum translatum sit, ne coniectura quidem augurari audemus. Welcker (Gr. Tr. III. p. 1380., 1389.) totam de Iliona fabulam e carmine quodam Iliadem parvam propagante delibatam esse coniecit.

Hactenus de nominibus, quae neque apud Homerum neque apud cyclicos servata sunt! Videntur igitur tragici nova haec nomina, quae exhibent, non ipsi finxisse, sed ab antiquioribus auctoribus, imprimis ab epicis, mutuati esse. Et si forte quae novarunt, certe ad rationem epicam artissime se adstrinxerunt. Utique nihil barbari his nominibus significatur.

---

[1]) Ab Achille occiditur Tennes ‚ἀμύνων τῇ οἰκείᾳ‘ (v. Pausan. l. X. c. 14., 4.; Diodor. l. V. c. 83., 4./5.; Plut. Qu. Gr. c. 28.; schol. et Tzetz. ad Lycophr. v. 232.). Qua cum narratione componas velim Cypr. epit. Procl. haec verba: ἔπειτα καταπλέουσιν εἰς Τένεδον κ. τ. λ.

[2]) Hygin. fab. 109. codex Fris. exhibet ‚Deiphylum‘. Ribbeck (Roem. Trag. p. 232.) scribit ‚Deiphilum‘. Sed ‚Deipylum‘ cum Buntio scribendum esse elucet collato Deipylae nomine quod apud auctores Graecos (Ps. Apollod. l. I c. 8., 5., 3. etc.) Δηιπύλη legitur, apud mythographos Latinos (Hygin. f. 69.; interpol. Servii ad Verg. Aen. c. I. v. 97.) Deiphyle! v. Papium-Benselerum l. l. s. v.; De-Vit., Onomasticon s. v.

[3]) cfr. Ribbeckium, Roem. Trag. p. 232. ss.; alia de Iliona testimonia exstant apud Vergilium, Aen. l. I. v. 653.; apud interpol. Servii ad Verg. Aen. l. I. v. 654. cfr. etiam Stollium in Roscheri lex. II[a] p. 118.

[4]) cfr. Kuehnerum-Blassium, Gr. Gramm. I., 2., p. 373., 378., 383.

[5]) Cognominis filius Iasonis et Hypsipylae commemoratur apud Hyginum (f. 15., 273.). cfr. etiam Stollium in Rosch. lex. I[a] p. 983.

## Caput II.

# De lingua Troiana.

Homeri in carminibus lingua Troiana a Graeca non discernitur, quamquam duobus locis (Il. c. II. v. 804.; c. IV. v. 438.) sociis Troianorum aliis aliae linguae tribuuntur.[1]) Hymnorum autem Homericorum qui feruntur in quarto, Veneri dedicato, (v. 113./116.) lingua Troiana a Phrygia subtilissime distinguitur.[2]) A tragicis vero eadem Graecae expressis verbis opponitur: Aeschylus enim Agam. v. 1003./1004. K. (= 1035./1036. Wckl.) Clytaemestram facit de Cassandra in silentio perseverante dicentem haec: *ἀλλ᾽ εἴπερ ἐστὶ μὴ χελιδόνος δίκην | ἀγνῶτα φωνὴν βάρβαρον κεκτημένη.*[3])

Quae verba si quis per ludibrium reginam Argivorum loqui putet, alia in eadem fabula paullo infra leguntur, quibus omnis, ut opinor, dubitatio tollitur, quin Aeschylus Troianum sermonem a Graeco diversum esse velit, versus dico 1013./1014. K. (= 1044./5. Wckl.): *εἰ δ᾽ ἀξυνήμων οὖσα μὴ δέχῃ λόγον, | σὺ δ᾽* (*ὧδ᾽* Weil.) *ἀντὶ φωνῆς φράζε καρβάνῳ χερί*[4]), v. 1208. K.

---

[1]) cfr. Zahnium, Die Darstell. d. Barb. p. 16. Cares socii Troianorum Il. c. II. v. 867. *βαρβαρόφωνοι* i. e. ‚balba lingua utentes‘ appellantur. cfr. Ameisium ad Il. l. l.; Ebelingium, lex. Hom. s. v. l.

[2]) cfr. Ed. Meyerum, Gesch. v. Troas p. 12.; Zahnium l. l. p. 17.; Kretschmerum, Einl. i. d. Gesch. d. griech. Spr. p. 182. ss.

[3]) v. Hesychium *χελιδόνος δίκην . τοὺς βαρβάρους χελιδόσιν ἀπεικάζουσι διὰ τὴν ἀσύνθετον* (scr. *ἀσύνετον*) *λαλίαν.* Tritissima est haec comparatio: Aeschyl. fr. inc. 450. (N.²); Ion. Omphal. fr. 33. (N.²); Aristoph. Av. v. 1680.; Ran. v. 93. etc. Omnino de avium cantu *βάρβαρος* vox usurpatur ab Aristoph. Av. v. 199./200. (cfr. Soph. Antig. v. 1001./1002.; Herodot. l. II. c. 57.). Hac ex imagine quae principalis ac nativa notio vocabuli *βάρβαρος* sit, dilucide perspicitur (v. Grotefendium, Encycl. v. Ersch u. Gruber, t. VII. p. 347.).

[4]) Wecklinus (Orestiae ed. p. 101.) v. 1045. (= 1014. K.) chorum a Clytaemestra appellari contendit et *καρβάνῳ* quod pro substantivo accipit nomine Cassandram statuit significari. Verum multa tali interpretationi obstrepunt: Artissime *καρβάνῳ* cum *χερί* collocatione coniungitur. Quo ordine verbis compositis certe articulus desideratur, ut Wecklini sententia probabilis fiat (cfr. et v. 1046. *ἡ ξένη*; 1067.). Quid vero durius cogitari potest quam eadem persona (grammatica) eiusdem comprehensionis in parte antecedente alium hominem, alium in sequente appellari? Ad extremum ut haec omnia condonentur, nonne satis inepte loqueretur Clytaemestra, si chorum his verbis adhortaretur: ‚*σὺ δ᾽ ἀντὶ φωνῆς φράζε — χερί*‘? Neque enim equidem intellego, quibus argumentis vir doctus probare possit Clytaemestram, cum ceterum ipsa cum Cassandra agat, illud quod eodem modo ipsa gerere potest, aliis mandare. Respuenda igitur est Wecklini explicatio. Contra ille versus

(= 1253. Wckl.) (quo vates Troiana ipsa illa verba Tyndaridis acerbe videtur designare): *καὶ μὴν ἄγαν γ' Ἕλλην' ἐπίσταμαι φάτιν.*

Sophoclis in Aiace (v. 1263.) Agamemnon cum aliquo aculeo negat se Teucri Semitroiani verba comprehensurum esse; barbarae enim linguae se ignarum esse.

Euripides in Oreste (v. 1385. *βαρβάρῳ βοᾷ* —; v. 1396./1397. *βάρβαροι λέγουσιν — Ἀσιάδι φωνᾷ.*) Troianum servum Helenae inducit etiam ipsum profitentem se suamque gentem barbara lingua loqui.[1])

In Rheso linguam Troianam a Graeca diversam cogitari apparet ex. v. 294./295.: ‚*πρὶν δὴ δι' ὤτων γῆρυν οὐχ Ἑλληνικὴν | ἐδεξάμεσθα καὶ μετέστημεν φόβον.*' Neque enim si eadem lingua Graeci atque Troes utentes fingerentur, pastores Troiani Graecam vocem timerent.

Iam exoritur quaestio, utrum revera scaenici sermonem Troianorum a Graecorum sermone distinxerint. Certe comici Troibus mixtam quandam atque balbutientem linguam attribuere potuerunt, quali Aristophanes Pseudartabam in Acharnensibus instruxit.[2]) Sed nihil sermonis Troianorum comicorum superest. Tragicos autem illa ratione heroum Troianorum linguam notare non potuisse per se apparet. Et ne inferiores quidem Troianos in tragoediis balbe ac barbare loquentes prodisse exemplo Phrygis servi Helenae ceterum satis ridicule, fere comico more ab Euripide descripti dilucide comprobatur. Attamen externi coloris aliquid linguae Troianorum inducere tragici nescio an studuerint. Externa enim vocabula haud pauca ei admiscuerunt. Horum autem in numero non solum ea duco, quae revera ex aliis linguis petita neque, etiamsi iam ante bella Persarum ad Graecum os accommodata sint, certe unquam usque ad illam aetatem pro barbaris haberi desita sunt, sed etiam ea, quae, quamquam vel in Graeca lingua innata vel antiquissimis temporibus in eam recepta sunt, aliis potestatibus a Graecis, aliis a barbaris instructa, barbaram in partem accipienda in tragoediis vel a Troibus ipsis vel tamquam e lingua Troiana delibata usurpantur.

---

hunc in modum vertendus mihi videtur: ‚(Si imperita nostrae linguae mea verba parum intellegis) vocis loco manu barbara (i. e. manus gestu ritu barbarorum) id indica!' *σὺ δ'*, quae verba ut e. v. 1043. huc illapsa Weil delet, nescio an consilio in maiorem gravitatem iterata sint. *δέ* particula saepe in apodosi ponitur.

[1]) cfr. de hoc loco Hechtium, Progr. d. Kgl. Realg. a. d. Burg zu Koenigsberg 1892., p. 9., qui etiam alia pauca de lingua Troianorum scaenicorum adnotavit (p. 9./11.).

[2]) cfr. Hechtium l. l. p. 11.

Sunt autem haec:

### a) nomen, quo Graeci ipsi significantur.

1. Ἴαννα[1]) pro voce Ἑλληνική Sophoclis in Captivis (fr. 53. N.[2]) et in Pastoribus (fr. 476. N.[2]) de muliere Graeca usurpatum fuisse Hesychius testatur: ,Ἴαννα ἐν μὲν Αἰχμαλωτίσι Σοφοκλέους ἀπέδοσαν ,Ἑλληνική' ἐπεὶ Ἰᾶνας (sic Lobeck, Dindorf) τοὺς Ἕλληνας λέγουσιν, ἐν δὲ Τριπτολέμῳ ἐπὶ γυναικός, ὡς καὶ ἐν Ποιμέσιν. ἐπιεικῶς δὲ οἱ βάρβαροι τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας (vel Ἰᾶνας M. Schmidt pro Ἴωνας) λέγουσιν.[2]) Ἰαόνων (= Ἰώνων) nomine a Graecis (v. Il. c. XII. v. 685. etc.) gens quaedam Graeca nuncupatur, a barbaris, imprimis ab Asianis, eadem appellatione omnes Graeci comprehenduntur.[3]) Asianum hunc usum respexit Aeschylus Persarum in vv. 181. (Ἰαόνων γῆν)[4]), 566., 952., 953., 1014., 1027. (Wckl.), Aristophanes Acharnensium in vv. 104. (ubi Pseudartabas dicit: ,οὐ λῆψι χρῦσο χαυνόπρωκτ' Ἰαοναῦ') et 106. (ubi Dicaeopolis eum imitatur: ,— τοὺς Ἰάονας λέγει').

Similiter Γραικῶν nomine tamquam barbara appellatione matres vel matronas Graecorum in Pastoribus tragoedia Sophoclea significatas fuisse facile quispiam coniiciat collato frag. 475. (= Steph. Byz. p. 212., 20. (M.) s. v. Γραικός) cum Phot. lex. p. 480. et Eustath. Iliad. p. 890., 14. Leguntur enim illis locis haec:

St. B. s. v. Γραικός: — Γραῖκες δὲ παρὰ Ἀλκμᾶνι αἱ τῶν Ἑλλήνων μητέρες καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Ποιμέσιν. Phot. lex. p. 480.: Ῥαικούς· οἱ βάρβαροι τοὺς Ἕλληνας. Σοφοκλῆς τῇ λέξει χρῆται. Eustath. Il. p. 890., 14.: — διὰ τὴν ἐκεῖ τῶν Γραικῶν νίκην, οὓς ἡ μὲν συνήθεια καὶ Σοφοκλῆς δέ που κατὰ τοὺς παλαιοὺς καὶ ὁ Λυκόφρων δὲ διὰ τοῦ ἐν

---

[1]) cfr. Hechtium l. l. p. 9.

[2]) Lobeck (de mot. adiect. I., 11.) Ἰάννα scribendum esse putat, quod nomen proprium in titulis invenitur. Neque tamen haec coniectura sententiae illius glossae respondere mihi videtur neque ego quidem adduci possum, ut eandem illam ,Ἰάνναν' in Pastoribus et — in Triptolemo (!) commemoratum fuisse existimem. Quamquam non nego Ἴαννα nomen ethnicum ab Hesychio hic cum Ἰάννα nomine proprio confusum esse posse, ita, ut scribendum sit: ,Ἴαννα — λέγουσιν. καὶ ἐν Τρωΐλῳ βάρβαρον θρήνημα τὸ ἰάννα (l. m. ἰαί) (Hebr. channâh??). ἢ ὄνομα γυναικός. Ellendtio autem adstipulans dubito an in Pastoribus Helena Ἴαννα κατ' ἐξοχὴν appellata fuerit.

[3]) Appellantur ,Iavânu' a Semitis veteribus, ,Yevan(na?)' vel ,Yevan(nân?)' ab Aegyptiis veteribus, ,Yauna' a Persis veteribus. cfr. G. Curtium, Gr. Etymol.[5] p. 592.; Ed. Meyerum, Gesch. d. A. Bd. I. p. 492.; W. M. Muellerum, Asien u. Europa nach altaegypt. Denkm. p. 370. (et p. 24. adn. 3.).

[4]) cfr. v. 2. — Ἑλλάδ' ἐς αἶαν, v. 760., 792., 798. etc.

ἀρχῇ Γ προφέρουσιν ἐπὶ Ἑλλήνων, οἱ βάρβαροι δὲ Ῥαικοὺς φασὶ δίχα τοῦ Γ. Sed nequaquam Γραῖξ forma feminina a Γραικός nomine derivata esse potest. Γραῖκες autem nomen nationis Parii habitantis (Steph. Byz. s. v. Γραικός), quod communis generis esse potest, a Graecis, non a barbaris, ope Graeci suffixi -ιξ -ικες a stirpe Γρα- (ut Τέμμ-ιξ, -ικες; Αἴθ-ιξ, -ικες; Θρέ-ιξ, -ικες; alia) formatum et usurpatum esse eamque ob causam a Γραικός, -κοί nomine primum a Romanis ope Romani sufffxi -cus, -ci (ut Tus-ci, Falis-ci, Herni-ci, Aurun-ci) ab eadem stirpe Γρα- vel Γραι- formato et usurpato disiungendum esse iam pridem viri docti perspexerunt.[1]) Atque etiam utrum Γραῖκες αἱ τῶν Ἑλλήνων μητέρες apud Sophoclem ut Ἑλληνίδες an ut μητέρες appellatae fuerint, incertum esse rectissime Benedictus Niese (Herm. v XII. p. 419.) monuit ideoque, num Γραῖκες illud omnino nomen proprium sit, valde addubitavit (l. l. p. 419. adn. 2.). Investiganti autem mihi quomodo id explicandum esset, Hesychii haec glossa se obtulit: μήτηρ· ἡ πρεσβυτάτη πᾶσα. Αἱ μητέρες autem τῶν Ἑλλήνων a Sophocle Γραικῶν nomine dicuntur significatae esse. Quae cum ita sint, delibero an Γραῖξ ope suffixi -ιξ a radice γρα- (ut ἀγύνα-ιξ (Soph. Atham. fr. 4. N.[2]) a radice ἀγυνα-) formatum cum γραῖα, γρᾶες coniungendum sit. Quamquam utrum nomen appellativum an nomen proprium (= Γραῖαι cfr. Hesiod. theog. v. 270.) sit, diiudicare non audeo. Utique Γραῖκες nomen a Sophocle non pro barbaro vocabulo usurpatum esse affirmare possumus.

## b) appellationes barbarorum magistratuum honorumque.

2. βαλήν[2]) = βασιλεύς (Sophocl. Pastor. fr. 472. N.[2] = Sext. Emp. p. 672., 26. οἱ παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ ποιμένες ‚ἰὼ βαλλήν' λέγοντες ‚ἰὼ βασιλεῦ' λέγουσι Φρυγιστί). Eodem nomine rex Persarum invocatur in Pers. Aeschyl. v. 660. (Wckl.), quem in locum schol. adnotat: βαλλὴν βαρβαρικῶς (add. O. Daehnhardt e cod. V.) ὁ βασιλεὺς λέγεται. Εὐφορίων δέ φησι Θουρίων (Φρυγῶν Lagarde) εἶναι τὴν διάλεκτον. cfr. Ps. Plut. περὶ ποταμῶν c. 12., 3.; Hesychium, s. v. βαλλήν; Herodian., 52., 2.; Eustath., in Iliad. p. 381., 384.

βαλήν, non βαλλήν scribendum esse Joh. Oberdick recte iudicavit (Wochenschr. f. klass. Philol. No. 39 [1890] p. 1058).

---

[1]) cfr. B. Niesium, Herm. v. XII. p. 417./419.; Wilamowitzium, Herm. v. XXI. p. 107., 114./115.; E. Meyerum, Gesch. d. A. v. II. p. 66. et 471. Busoltium, Gr. Gesch. v. I.[2] p. 198./200. Qui viri doctissimi etiam de ipsa illa antiquissima gente Graum eiusque sedibus accuratissime disputarunt. De forma nominis Γραῖκες v. etiam Kretschmerum, Einl. i. d. Gesch. d. griech. Spr. p. 171./172.

[2]) cfr Hechtium l. l. p. 9.

De origine nominis v. Lagardium, Gesammelte Abhandl. p. 285. n. 13.; Fickium, Spracheinh. d. Indogerm. Europ. p. 412.; Prellwitzium, Etymolog. Woerterb. d. gr. Spr. p. 44. Graecum hoc vocabulum esse Oberdick (l. l. p. 1058.) contendit nullis argumentis prolatis.

3. ὀροσάγγης (Sophocl. Nupt. Hel. fr. 184. N.[2]; Troil. fr. 577. N.[2] = lex. rhet. post Phot. p. 674, 21.: ὀροσάγγαι μὲν οἱ σωματοφύλακες ὡς Ἑλένη(ς) γάμῳ καὶ Τρωίλῳ). Apud Herodot. (l. VIII. c. 85.) legimus: οἱ δ'εὐεργέται βασιλέως ὁροσάγγαι καλέονται περσιστί. Lagarde (l. l. p. 191., n. 16.) demonstrat Persas ipsos hoc vocabulum ‚warsang' dixisse, quod idem valere atque Romanorum cognomen ‚illustris' (vel ‚clarus').

4. παρασάγγης = nuntius (Sophocl. Andromach. (? fr. Welcker., Trag. I. p. 113.) fr. 121. N.[2]; Pastor. fr. 477. N.[2]; Euripid. Scyr. fr. 686. = lex. rhet. post Phot. p. 674., 27.: σαγγάνδαι[1]) δὲ οἱ ἀποστελλόμενοι καλοῦνται. Σοφοκλῆς δὲ ἐν τοῖς Ποιμέσι καὶ Εὐριπίδης ἐν Σκυρίαις παρασάγγας αὐτοὺς κεκλήκασιν.

Hesychii glossa exstat nondum satis emendata: παρασαγγιλόγῳ οἱ Πέρσαι τοὺς διαγγέλλοντας οὕτω λέγουσιν. Nauck coniecit ‚παρασάγγῃ λόγῳ'. Nescio an τοὺς διαγγέλλοντας aptius quadret in ‚παρασαγγηλόγοι'.

Vocem ipsam e sermone Persarum deproptam esse Herodotus quoque testatur, sed aliam ei vim subiicit (l. VI. c. 42. — παρασάγγας, τοὺς καλεῦσι οἱ Πέρσαι τὰ τριήκοντα στάδια cfr. l. II. c. 6.; l. V. c. 53.). Haec notio ab Halicarnassio adhibita pervulgata erat apud Graecos. Attamen eam recentiorem esse illa, quam nusquam nisi in his fragmentis Sophoclis Euripidisque usurpatam reperimus, Lagarde (l. l. p. 77. n. 196.; p. 192., 196.) dilucide ostendit. Confert vir doctissimus: s çaṃs, b çañh, p artang (arẓang); s praçañsa. v. etiam Prellwitzium, Etymol. Woerterb. p. 239.

5. μάγος (Euripid. Orest. v. 1497. — ἢ μάγων τέχναισιν.) Magi Persarum fatidici sunt (v. Herodot. l. I. c. 120., 128., 132., 140., al.) De origine nominis v. Lagardium l. l. p. 157., 31. ss. (qui confert Cedr. l. I., c. 54., 1. ss.), v. praeterea Aeschyl. Pers. v. 321. Μάγος Ἄραβος (schol. M. Μάγος ἐθνικόν, Ἄραβος κύριον); Herodot. l. I. c. 101. Aliter iudicat Iusti, Gesch. d. a. P. p. 68.

### c) nomina instrumentorum in barbarorum usu versantium.

6. ? σκάλμη (Soph. Troil. fr. 563. N.[2] = Polluc. l. X. c. 165.: ξίφους δὲ ὄνομα ἔοικεν εἶναι βαρβαρικὸν ἡ σκάλμη (sic Dindorf)

---

[1]) Perperam mutat Nauck in ἀστάνδαι; cfr. Lagard. l. l. p. 77. ‚σαγγάνδης ist haarscharf b çañhvañt.'

*Σοφοκλέους εἰπόντος ἐν Τρωίλῳ· ,σκάλμη* (sic Dindorf) *γὰρ ὄρχεις βασιλὶς ἐκτέμνουσ' ἐμούς.*'). Apud Hesychium legimus: *σκάλμη· μάχαιρα Θρᾳκία καὶ σιδηρολάβον δὲ αὐτήν τινες λέγουσιν.* De origine vocabuli cfr. Lagardium, l. l. p. 281.; Fickium, Spracheinheit p. 419.; Prellwitzium l. l. p. 286.; Tomaschekium, ,Die alten Thraker' (Sitz.-Ber. d. K. K. Akad. d. Wissensch., Philos.-Histor. Kl. Bd. 130.) p. 20. Attamen hoc nomen a Graeca eadem radice atque *σκαλίς, σκάλλω, σκαλεύω* ductum esse posse complures viri docti arbitrantur (ut G. Curtius, Gr. Etymol.[5] p. 552. n. 664.). Atque per ludibrium et contemptionem hac appellatione gladium a Graecis significatum esse iure forsitan aliquis suspicetur. Certe quod Thracibus haec *σκάλμη* expressis verbis apud Hesychium attribuitur, id levioris momenti est. Perfacile enim fieri potuit, ut grammaticus aliquis rarissimum hoc nomen apud poëtam aliquem de Thracis alicuius gladio usurpatum reperiret eamque ob causam id Thraciam in linguam adscriberet. Sed certum iudicium facere non licet, cum Thracia lingua ab eadem stirpe omnibus Indogermanis linguis communi profecta sit atque Graeca.

7. *βᾶρις*[1]) = *πλοῖον, ναῦς* (Sophocl. Pastor. fr. 474. N.[2] = Antiatt. ap. Bekk. Anecdot. I p. 84, 10 ss.: — ,*Σοφοκλῆς ἐν Ποιμέσι βαρίβαν λέγει τὸν ναύτην ἢ τὸν τῆς βάρεως ἐπιβεβηκότα.*' Euripid. Iphig. Aulid. v. 297., ubi chorus in nominandis navibus Troianorum etiam vocabulum barbarum usurpat: — ,*βαρβάρους βάριδας*').

Eodem nomine Persarum naves, quas Phoenices, Syros, Aegyptios, Cyprios, Asianas gentes praebuisse Herodotus (l. VII. c. 89. ss.) tradit, a Persis Aeschyleis (Pers. v. 556., 1076.) appellantur. Aegyptiorum autem e lingua hanc vocem manasse Herodotus docet (l. II. c. 96., cfr. l. II. c. 41., c. 60.; c. 179.; cfr. etiam Diodor., l. I. c. 92., 2.; c. 96., 8.). Iam in Aeschyl. Suppl. v. 836., 874., 882. haec *Αἰγυπτία βᾶρις* commemoratur et ne sera quidem aetate eam ab usu Aegyptiorum remotam fuisse Propertius (l. III. c. 11. v. 44. = l. IV. c. 10. v. 44. Lachm.) testis est. Coptidi autem e lingua hanc vocem ductam esse Prellwitz (l. l. p. 45.) et Lewy (Semit. Fremdw. im Griech. p. 97.) contendunt. Sed iam in monumentis duodevicesimae quam vocant dynastiae eam reperiri Wiedemann (,Herodots zweites Buch' p. 387./388.) monet.

8.? *εὔμαρις*[2]) (est *εἶδος ὑποδήματος*) (Eurip. Orest. v. 1370., ubi Troianus servus Helenae hoc vocabulo de calceis suis utitur: ,— *βαρβάροις εὐμάρισιν*'). Idem nomen calceo Darei inditum est in Aeschyl. Pers. v. 664. Pollux (l. VII. c. 90.) *τῇ*

---

[1]) cfr. Hechtium l. l. p. 10.
[2]) cfr. Hechtium l. l. p. 12.

*εὔμαριν βαρβαρικὸν εὕρημα* esse dicit. Sed unde ipsum vocabulum decerptum sit, etiam viri linguarum inter se comparandarum peritissimi se prorsus nescire confitentur (ut Prellwitz l. l. p. 107.).

Iam ad finem perduximus hanc quaestiunculam. Usque adeo ceterorum scaenicorum fabulae iniquitate temporis vastatae sunt. Attamen e paucis iis quae attulimus indiciis haec lucramur: Summi illi tres tragici aliam Troianorum linguam, aliam Graecorum esse posuerunt. Atque revera Sophoclem et Euripidem sermonem illorum barbaris vocabulis distinxisse eumque quamvis leviter Asiano recentiori, ne dicam Persico, adsimulasse ex certis testimoniis compertum habemus. Qualem ad descriptionem bella Persarum multum valuisse veri simillimum est.

---

# Appendix.

## De Teucro Teucrisque.

### I. De Teucro heroe Troiano eiusque populo.

De Teucro heroe Troiano eiusque populo duplex prodita est memoria: 1. fabularis, 2. historica quae videtur.

#### 1. De fabulosis narrationibus.

Complures auctores posthomerici Homerico stemmati regum Troianorum Teucrum heroem ut Dardani socerum praeponunt[1]), quem alii eorum indigenam Troianum, alii advenam esse dicunt.

A. De Teucro indigena Troiano.

Teucrum vetustissimum regem Troadis, filium Scamandri fluvii et Idaeae nymphae, patrem Batiae esse Apollodorus (bibl. III, 12, 1) et Diodorus (bibl. IV, 75, 1) narrant.

Filiae nomine omisso idem referunt Conon (narrat. XXI) et Stephanus Byzantius (s. v. *Τευκροί*).

Hos autem auctores hanc fabulam e compendiis fabularis historiae primo a. Chr. n. saeculo conscriptis deprompsisse sagaciter ostenderunt Ericus Bethe (Quaest. Diodor. D. I. Gotting. 1887 p. 46/47; p. 94/95) et Udalricus Hoefer (‚Conon' 1890 p. 111/112).

Eandem in patriam Troianam Mnaseas videtur Teucrum adscripsisse (FHG III p. 154 fr. 28).

Neque tamen Maximiliano Wellmanno (Comment. philol. Gryphisw. 1887 p. 58 ss.) neque Hoefero (‚Conon' p. 42 ss.) ad-

[1]) Contra Dardanum Teucri socerum esse tradunt auctores ‚quidam' Servii (in Aen. III, 108). Sed horum auctoritatem in indagatione verae originis Teucri neglegendam esse puto. Videtur enim illud novatum esse a recentiore nescio quo interpolatore Romano, qui Dardanum Italum popularem suum antiquissimum Troianorum heroem esse vellet (v. et p. 44 adn. 2).

stipulari possum, qui hanc formam fabulae Hellanico restituunt. Neque enim primum etiamsi Mnaseam de Dardano eadem quae Hellanicum tradidisse concedamus[1]), inde colligi licet eum Teucri quoque originem ex eodem fonte petiisse. Deinde quod Batiae nomine Hellanicus (FHG I p. 63 fr. 130) item ut Apollodorus et Diodorus filiam Teucri appellavit, hinc nequaquam efficitur apud eum Troadem patriam Teucri fuisse; nam idem nomen illi mulieri inditur a quibusdam auctoribus Servii (Serv. in Aen. I, 38)[2]), qui iidem Teucrum e Creta oriundum esse narrant. Immo confitendum est ignorare nos, ubi Hellanicus Teucrum natum esse perhibuerit (v. et p. 45 adn. 1). Attamen hoc dicere possumus, quod iam Wellmann (l. l. p. 58) optimo iure contendit: ‚hanc fabulam, qua Teucrum indigenam Troianum esse probatur, satis vetustae originis speciem prae se ferre.‘ Neque ego quidem dubito, quin in antiquo carmine epico narrata fuerit. Persaepe enim veteres epici antiquissimis vel gentium vel urbium conditoribus deos fluviales earum quas incolunt regionum patres, nymphas matres dant.[3])

Filia autem Teucri cum Batiae nomine in hoc antiquissimo mytho nuncupetur, elucet Teucrum ipsum (in eo) Iliensium qui postea erant fines tenuisse, non Dardanorum; nam Batiēa collis, cuius eponyma est illa Batia (cfr. Hellan. fr. 130 M.), Ilio proximus est. (v. Iliad. II, 811 ss.; Strab. p. 573, 597 C.).

## B. De Teucro advena.

### a) De Teucro Cretensi eiusque populo.

Quae fabulae traditae sint.

Teucrorum gentem e Creta in Troadem transmigrasse Callinus narravit (fr. 7 Bergk.[4] = Strab. p. 604). Hos autem

---

[1]) Sed ipse Dardanus apud Hellanicum Samothracius est, si quidem recte disseruit Rolandus Koehler (Stud. Lipsiens. philol. vol. XVIII p. 214 ss.), apud Mnaseam Troianus videtur esse (FHG III p. 154 fr. 28: ‚— *Τεῦκρον τὸν Τρῶα· ὁ δὲ Τεῦκρος ἀναγνωρίσας τὸν Δάρδανον* —‘).

[2]) Hi auctores delibero an iidem sint, quos laudat Servius in Aen. III, 108.

| cfr. in Aen. I, 38 | in Aen III, 108 |
|---|---|
| ‚quia Teucer et Scamandrus Creta profecti Troiam venerunt. facta ascensione hospitio a Dardano accepti de advenis cives facti quia Batiam, Teucri filiam, Dardanus sibi iunxit et populares suos socero cognomines fecit. | tradunt praeterea nonnulli. Dardanum a Teucro in Phrygia inventum, (*hunc*?) filiam suam ei sociasse et Dardanum populares suos socero cognomines fecisse. |

[3]) cfr. Lehnerdtium apud Roscherum, lexic. I. p. 1487; Prellerum-Robertum, Griech. Mythol. I[4] p. 547; 719.

Teucros circum Hamaxitum a muribus oppugnatos ex oraculo sibi dato sedes ibi constituisse templumque Apollinis Sminthei condidisse si non Callinus ipse, certe complures auctores Strabone vetustiores tradiderunt (cfr. Strab. p. 604). Teucrorum nomine omisso fere eadem atque apud Strabonem leguntur apud Aelian. N. A. XII, 5 et apud schol. Ven. A in Il. I, 39.[1])

Item Teucrum heroem, quem iam apud Callinum ducem Teucrorum fuisse recte coniicias, e Creta in Troadem venisse idque ante Dardanum[2]) nonnulli auctores referunt, e quibus ut vetustissimos nomino Lycophronem (Alex. v. 1302/8) et Cephalonem Gergithium (= Hegesianactem Alexandrinum?[3]) fr. 5, FHG III p. 70).

Variant autem

1. de patre Teucri, quem alii Curetis filium esse dicunt (cfr. Serv. in Verg. Aen. III, 108), alii Scamandri Cretensis (cfr. Lycophr. v. 1304; Trogum apud Serv. in Aen. III, 108; — schol. Lycophr. v. 1303 K.; paraphr. Lycophr. v. 1304 Sch.; Tzetz. in Lycophr. v. 1302/8; — Serv. in Aen. I, 38, in Aen. III, 167).

2. de filia Teucri, quam alii Batiam appellant (cfr. Serv. in Aen. I, 38; Tzetz. in Lycophr. v. 1306?; Etym. Magn. p. 191, 45?), alii Arisbam (cfr. Lycophron. v. 1308; Cephalon. fr. 5; schol. Lycophr. v. 1306 K.; paraphr. v. 1308 Sch.; Tzetz. v. 1306; E. M. p. 143, 55).

Praeterea discrepant inter se, quas partes Teucer, quas Scamander in expeditione Cretensium egerit[4]): Teucrum solum ‚sub condicione supradicti oraculi profectum de Creta‘ in Troadem advenisse ibique ‚et civitatem et templum condidisse‘ dicunt

---

[1]) cfr. Gutschmidium, ‚Kleine Schriften‘ V p. 46/47; quem virum egregium in eo errare arbitror, quod Polemonem praeter indigenam, ut ita dicam, de Sminthei templo condito fabulam hunc de Cretensibus auctoribus eius mythum exhibuisse contendit. Nam ex ipsis iisdem fragmentis alterius narrationis Polemoniae, quibus Gutschmid coniecturam suam comprobari putat, facile intellegitur eam a relatione ἄλλων a schol. Ven. A in Il. I, 39 laudatorum diversam, Herodoteae de Sethone fabulae (II. 141) haud dissimilem fuisse.

[2]) Quod post Dardanum Teucer in Troadem immigrasse perhibetur apud quosdam auctores Servii (in Aen. I, 38; III, 95; 104; 108 [inde a verbis ‚tradunt praeterea nonnulli —‘]; VIII, 136), in hac quaestione contemnendum existimo. Apparet enim hoc in veteribus fabulis si non primum a quibusdam Vergilii interpretibus veram sententiam poëtae parum intellegentibus (cfr. Serv. in Aen. III, 95), certe a recentioribus interpolatoribus Romanis mutatum esse, qui Dardanum Italum popularem suum pro veterrimo Troum proavo studerent probare.

[3]) cfr. Carolum Muellerum FHG III p. 68, Fr. Susemihlium, Gesch. d. gr. L. i. d. Al. II, p. 31/34. C. Wachsmuthium, Einl. i. d. St. d. a. G. p. 149/150. — Cephalonem logographum fuisse Gutschmid existimat. (Kl. Schr. V p. 51 adn. 1.)

[4]) cfr. Gutschmidium l. l. p. 51.

alii' apud Serv. in Aen. III, 108 (v. et Vergil. Aen. III, 104 ss.; Ovid. Met. XIII, 705/6; [Serv. in Aen. III, 95, 104]). Teucrum cum Scamandro a muribus oppugnatos in agro Bebrycio consedisse tradit Lycophron Al. v. 1303 ss. (cfr. et schol. Lycophr. v. 1303 K.; paraphr. v. 1303 ss. Sch.; Tzetz. v. 1302/6; [— Serv. in Aen. I, 38]). Scamandrum eodem omine ,in Idae montis radicibus aedificia collocasse', deinde, ,cum adversus Bebrycas finitimos bellum gereret, victorem in Xantho flumine lapsum non comparuisse filioque eius Teucro regnum traditum'; Teucrum Apollini Smintheo templum constituisse narrant auctores quidam Servii in Aen. III, 108.[1]) Scamandrum (a Samone adiutum) incolas Troadis armis subegisse prodit Nicolaus Damascenus (FHG III p. 369 fr. 21).

Quibus e narrationibus et Lycophroneam et Servianam illam primo loco in Aen. III, 108 adnotatam etiam novi aliquid afferre vides, cum Bebrycas ut antiquiores illius regionis incolas a Teucris devictos inducant.

### Quid de hac fabula iudicandum sit.

Cur e Creta Teucri dicantur immigrasse, ipsi illi antiqui mythologi indicant. Primum enim Idam montem Troianum a Cretensi monte homonymo Teucer Teucrive traduntur nominasse (v. Strab. p. 604; Vergil. Aen. III, 112). Deinde Curetis, herois Curetum Cretensium eponymi, filium Teucrum esse, ut iam supra commemoravimus, ,alii' apud Serv. in Aen. III, 108 praedicant, atque etiam ipsum Cybelae Corybantiumque cultum e Creta ab eo in Troadem translatum esse Vergilius (Aen. III, 107/113) significat. Quibus e narrationibus intellegimus Teucris ut antiquissimis incolis Troadis ideo Cretensem originem inditam esse, quod et Idae nomen montis Troiani a Cretensi monte homo-

---

[1]) Dubito num iure Gutschmid (l. l. p. 21) hanc narrationem Trogo attribuat. Leguntur enim apud Servium (l. l.) haec: ,alii, inter quos et Trogus, (sc. Teucrum) Scamandri filium tradunt. Qui Scamander etc.' (v. et Holzingerum in Lycophr. Al. v. 1303). Minime vero comprobari potest quod vir doctissimus suspicatur (l. l. p. 52) hanc fabulam ab Hellanico repetendam esse Primum enim Batiae nomine, quo Hellanicus filiam Teucri appellat (FHG I p. 63 fr. 130), eodem eam apud Serv. in Aen. I, 38 non huius, sed alius diversaeque narrationis auctores nuncupant (cfr. p. 43, 2; 44, 2). Neque etiamsi ad hanc fabulam (Serv. in Aen. III, 108) illam adnotationem Servii (in Aen. I, 38) revocandam esse concederemus, sequeretur Hellanicum eandem hanc fabulam exhibuisse; nam idem nomen Batiae filiae Teucri inditur aliis quoque in narrationibus cum hac prorsus discrepantibus. (cfr. c. I, 1, A p. 42 ss.)

Deinde Nicolaum Damascenum (fr. 21) Hellanici vestigiis institisse neque Mueller (FHG III p 346) neque Gutschmid (Kl. Schr. V p. 51/52) ullo argumento probare potuit.

nymo[1]) et Cybelae Corybantiumque cultus Troianus a Cretensibus sacris Rheae Curetumque repetebatur.[2]) Quae cum ita sint, Gutschmid sagacissime concludit (l. l. p. 48) Hamaxitum Teucros ob eam causam advenientes factos esse, quod Corybantium in territorio huius oppidi situm erat (v. Strab. p. 473). Sminthei autem cum oraculo adventus Teucrorum postea coniunctus est, cum cultus eius in illam eandem regionem (Chrysam in oppidulum Hamaxito proximum) translatus esset (v. Strab. p. 612).[3]) Huic de Sminthëo condito fabulae cum Cures, quem in antiquiore illa quae ad Corybantes pertinebat forma mythi patrem Teucri Cretensis fuisse Gutschmid (l. l. p. 46) acute animadvertit, minus aptus esset, a recentioribus Scamander ex indigena Troiana narratione depromptus pro eo substitutus est. Quem Scamandrum Cretensem etiam ipsum e Creta in Troadem demigrantem facere idcirco necesse fuit, quod revera nomen eius non in Creta sed in Troade reperiebatur. Atque procedente tempore idem Scamander, cum pater Teucri esset, ut vetustior Teucro filio in hac fabula gradatim usque adeo antepositus est, ut ad extremum summa totius expeditionis ad eum solum deferretur.

Batiae nomen filiae Teucri ex indigena memoria Troiana delibatum quid de sedibus Teucri doceat, supra vidimus (p. 43). Arisbam, cum herois eponyma sit Arisbae oppidi Dardano propioris quam Ilio Hamaxitove, Dardano, a quo Dardanum oppidum conditum esse recentiores narrabant[4]), uxorem prius datam esse suspicor quam filiam Teucro, quem alii Iliaco, alii Hamaxitio in agro domicilium collocasse perhibebant. Elucet autem eadem forma fabulae, qua haec uxor Dardani Teucri filia facta est, regnum Teucri usque ad Arisbam oppidum propagatum esse.

---

[1]) De aliis nominibus quae eadem in Creta atque in Troade inveniuntur v. Demetrium Scepsium apud Strab. p. 472 (= fr. 61 Gaed.). cfr. et Paulum Kretschmerum, Einl. in d. Gesch. d. gr. Spr. p. 191; Ottonem Gruppium, Griech. Mythol. (= Muelleri compend. V, 2, 1) p. 301.

[2]) cfr. et Eduardum Meyerum, Gesch. v. Troas p. 9; Gutschmidium, Kl. Schr. V p. 45/46.

[3]) sive Chrysa ex oppidulo Troadis prope Theben *ὑποπλακίῃν* sito, ut Strabo (vel Demetrius Scepsius [cfr. Gaedium, Demetrii Sc. qu. s. p. 37]) l. l. iudicat, cui Carolus Hoeck (Kreta II p. 268/9) adstipulatur, sive Chrysa ex oppidulo Lesbi insulae, de quo v. Carolum Tuempelium (Philol. 49, 1890 p. 89 ss., imprimis p. 102 ss.).

[4]) cfr. Mnaseam (FHG III p. 154 fr. 28), Diodorum (bibl. IV, 75; V, 48), Dionysium Hal. (Ant. I, 61 coll. I, 46; I, 69), Ps. Apollodorum (bibl. III, 12, 1, 3); v. et Cononem (narr. XXI), a quo oppidum a Dardano conditum quamquam Dardania appellatur, tamen eo loco collocatur, ‚*ἐν ᾧ τῆς σχεδίας ἀπέβη*'. — Homerus autem Dardaniam urbem in *ὑπωρείαις πολυπίδακος Ἴδης* a Dardano conditam esse dicit (Il. XX v. 216/218). cfr. Ed. Meyerum Gesch. v. Troas p. 6 Homeri auctoritatem secuti sunt Ps. Scymnus (v. 688/9), Strabo (p. 330 fr. 50).

Hoc autem oppidum cum Bebrycum sedibus[1]) finitimum fuerit, iam intellegimus, unde bellum a Teucro ‚adversus Bebrycas finitimos‘ gestum ortum sit.

### b) De Teucro Atheniensi.

Quae tradita sint.

Teucrum heroem Xypete e pago Attico in Asiam transmigrasse nonnulli auctores (apud Dionys. Hal. I, 61 et apud Strab. p. 604) narrarunt, quorum e numero Phanodemus atthidographus nominatim profertur a Dionysio (FHG I. p. 367. fr. 8.).

Quid de hac fabula iudicandum sit.

Huius Xypetensis originis Teucri multa testimonia ab illis scriptoribus allata esse Dionysius l. l. affirmat. Strabo autem l. l. *τῆς πρὸς τοὺς Ἀττικοὺς ἐπιπλοκῆς τῶν Τρώων σημεῖον* et hoc positum esse dicit, quod apud utramque gentem Erichthonius quidam in numero heroum antiquissimorum esset. Aliud ex illis argumentis Servius (in Vergil. Aen. III, 281) prodit cum dicit Troianos idcirco, quod ab Atheniensibus oriundi sint, Minervam colere. Huic autem deae Erichthonius artissima necessitudine adiunctus est.[2]) Atque cum Servius l. l. expressis verbis Troianos ‚praeter Dardanum et Teucrum etiam ab Atheniensibus originem ducere‘ praedicet, stemmate regum Troianorum collato[3]) apparet praeter Phanodemi aliam quoque de hac expeditione fabulam viguisse, qua Erichthonius (non Teucer) Minervae cultum ex Attica in Troadem transtulisse narraretur. Quae de Erichthonio fabula ab Attico quodam auctore excogitata utrum antiquior ansam dederit ad Erichthonium Iliadis c. XX. versibus 219./230. stemmati heroum Troianorum inserendum an contra aetate inferior ab ipsis his versibus demum profecta sit, in ambiguo est.[4])

---

[1]) cfr. Charonem Lampsacenum (FHG I p. 33. fr. 6 et 7), Eduardum Meyerum l. l. p. 14.

[2]) cfr. R. Engelmannum ap. Roscher. lex. I p. 1303 ss. s. v. Erichthonios.

[3]) Vulgata memoria fabulari hic ordo regum Troianorum traditus est. Antiquissimus rex est Teucer, succedit ei regno Dardanus gener, a quo imperium accipit Erichthonius filius, qui pater est Trois etc.

[4]) v. Joh. Toepfferum, Quaest. Pisistr. p. 78 (= Beitr. p. 58): ‚Num hic de recentioribus Atheniensium interpolationibus cogitari liceat, equidem disceptare non audeo.‘ Attamen adnotandum est praeter Homericam aliam genealogiam traditam esse, qua Erichthonio omisso Tros Dardani filius esse dicitur (v. Accium fr. inc. III [R.]; schol. Townl. interl. in Iliad. c. XI v. 166). De Minerva Iliade (cuius cultum ab Erichthonio institutum esse Attica fabula narrabat) quae in Iliade (c. VI v. 86 ss., 269/311) commemorantur, recentiore aetate addita esse

Pro certo autem habeo eam vetustiorem esse illa de Teucro narratione. Xypetae enim pago, unde cur Teucer oriundus esse dictus sit nullam causam reperimus, necessitudines quaedam intercedunt cum Erichthonio. Primum Xypete pagus Cecropidem in tribum adscriptus erat. Cecrops autem eiusque filiae quam artis vinculis cum Erichthonio coniuncti sint quis ignorat? Deinde in eodem pago Xypete Palladium, quod celeberrimum illud signum Troianum Troia deleta ereptum esse putabatur [1], collocatum fuisse Otto Gruppe (Griech. Mythol. = Muelleri compend. V, 2, 1 p. 22) recte videtur coniecisse. [2]) Hoc autem Palladium quippe quod antiquissimum simulacrum Minervae Iliadis esse iudicaretur, ab iis qui cultum huius deae ab Erichthonio ex Attica in Troadem inductum esse existimabant, ex eadem terra ab eodem heroe Ilium advectum esse putatum iure concludere mihi videor. Quod cum ita sit, nonne probabile est Erichthonium Palladium Xypete ex eodem pago Attico secum abstulisse esse narratum, in quo etiam iis quae historia complectitur temporibus antiquum Minervae signum, quod idem Palladium Troianum esse dicebatur, constitutum fuisse supra vidimus? Adde huc quod Xypetaeones antiquitus Troes traduntur appellati esse (Strab. p. 604; Steph. Byz. s. v. *Τρoία*) a nomine Trois, filii Erichthonii, non Teucri a nomine Teucri. Jam concedes vetustiore quadam forma fabulae Erichthonium, non Teucrum e pago Xypete in Troadem profectum esse perhibitum. Qua narratione utrum Erichthonius iam Dardano (Teucroque?) ut aetate inferior postpositus an Dardano Teucroque vel nondum in numerum heroum Troianorum adscriptis vel consilio omissis antiquissimus proavus auctorque gentis Troianae numeratus fuerit, decernere non ausim. Teucrum autem a recentioribus scriptoribus Atticis eam ob causam pro Erichthonio substitutum esse elucet, quod tum vulgata memoria fabulari vetustissimus heros Troianus fuisse ferebatur. Nam hoc ipso quod ad antiquissimum qui tum putabatur heroem Troianum partes advenae Attici detulerunt, id consecuti sunt, ut Atticae deae gentisque gloria vel, si

---

Ferdinandus Duemmler (in encyclop. post Paulyium a Wissowa iterum edita II p. 1944/46; 1981; cfr. 2009 ss.) suspicatur, qui de recentiore forma metrica horum versuum confert Herm. Usenerum, Altgr. Versbau p. 12.

[1]) cfr. Ferd. Chavannesium, de Palladii raptu (diss. Berolin. 1891) p. 29/38.

[2]) De situ Palladii cfr. imprimis Cli(to)demum apud Plut. Thes. 27. v. C. Wachsmuthium, Die Stadt Athen I p. 447 ss., F. Duemmlerum ap. Wissowam II p. 1957. De situ Xypetae pagi v. Arth. Milchhoeferum ap. Wissowam II p. 2194, 2196 tabul. ad p. 2204; Gualt. Judeichium ibidem p. 2229.

vetustiore illa memoria, qua Erichthonius ex Attica in Troadem immigrasse traditus fuerat, idem Erichthonius antiquissimi loco proavi regum Troianorum habitus fuerat, etiam posteriore aetate, qua hic heros in stemmate non primo, sed tertio loco erat, eadem atque antea servaretur vel, si illa fabula Erichthonio item atque ab Homero ceterisque qui eum commemorant auctoribus sive Dardanus solus sive Dardanus et Teucer ut aetate superiores praepositi fuerant, quam maxime augeretur.

Quae adhuc disputavimus ut paucis complectar, vidimus nonnullis fabulis posthomericis Teucrum quendam, qui apud Homerum nusquam commemoratur, Dardano ut socerum praepositum antiquissimum heroem Troianorum praedicari. Qui Teucer eponymus videtur esse gentis Teucrorum, quae item Homero incognita compluribus illarum narrationum cum hoc heroe ita coniuncta est, ut imperio eius subiecta et ex nomine eius appellata perhibeatur, quibusdam earum restituta fere pro eo videtur. De origine eius vel Attica vel Cretensi quae auctores haud pauci hariolantur, vanae sunt coniecturae.

Jam quaeramus quae historici de hac gente Teucrorum tradant.

## 2. De eis quae ad historiae fidem traditae videntur narrationibus.

Unus atque solus Herodotus de Teucrorum gente talia profert, quae speciem verae memoriae habeant. Commemorat autem

A. de Teucris in Troade habitantibus

B. de Teucris e Troade in Europam transgressis.

### A. De Teucris in Troade habitantibus.

#### Testimonia.

Herodotus Gergithes gentem in montibus Troadis habitantem V, 122 ‚priscorum Teucrorum reliquias' esse dicit eosdemque VII, 43 tamquam uno nomine ‚Gergithes Teucros' appellat.

#### Quid de hac memoria iudicandum sit.

Qui viri docti adhuc de Teucris disputarunt, omnes huic testimonio Herodoti auctoritatem attribuerunt, ut nuper Paulus Kretschmer (Einleit. i. d. G. d. gr. Spr. p. 190/191).

Neque tamen equidem sententiae eorum adstipulari possum. Neque enim dubito quin, si Gergithes revera Teucrorum reliquiae essent, in uno saltem ceterorum locorum, in quibus Gergithes inveniuntur, item ut in Troade Teucrorum memoria ser-

vata esset. Hoc autem non evenit. Nam Gergithum nomen occurrit: a) in Lampsacena (cfr. Strab. p. 589, dubium est num hic antiquitus sedes habuerint). b) in Cymaea (cfr. Clearch. Sol. apud Athen. p. 256 c; Strab. p. 589). In hanc regionem Gergithes Tricca ex urbe Thessala immigrasse auctores quidam a Clearcho (l. l.) exagitati contenderunt. c) Mileti, ubi plebem ita[1]) appellari tradit Heraclides Ponticus apud Athen. p. 524a (cfr. Suidam s. v. et de ipso illo bello civili Herodot. V, 28). Neque tamen in his locis Teucrorum aut vola aut vestigium exstat.[2])

Deinde quod Alfredus de Gutschmid (ap. Thraemer. Perg. p. 181, 354,2), Ferdinandus Duemmler (Athen. Mitt. XI, p. 251,1), Paulus Kretschmer (l. l. p. 190/191) errorem Clearchi Solensis vel auctorum eius usurpantes (cfr. Athen. p. 256c) Gerginorum nomen speculatorum illorum Salamine in urbe Cypria habitantium idem contendunt esse atque Gergithum, prorsus dissentio ab his viris doctissimis. Primum enim una littera inter se differunt *Γεργῖνοι* et *Γέργιϑες* neque quo modo *ϑ* pro *ν* substitui potuerit facile intellegitur. Tum, quod gravissimum est, componitur cum Gerginis alterum genus adulatorum, *Προμάλαγγες* (Athen. p. 255f/256a), quibus hoc nomen per contumeliam ac ludibrium inditum esse dilucide Lobeck ostendit (Paralipom. p. 81 adn. 19). Quid igitur vero propius est quam alterius quoque partis nomen eadem ratione explicandum esse? Et explicatur hac via sagacissime a Brugmanno (Stud. Curt. VII p. 303), derivatur a stirpe gar, skrt. g'arg'ati (cfr. Hesychium, qui interpretatur *γεργῖνος · διάβολος*).

Jam concedes Gerginos a Gergithibus seiungendos esse.

Neque minus Gutschmid (l. l.) et Kretschmer (l. l.) in eo errant, quod in horum Gerginorum patria reliquias Teucrorum reperiri autumant. Nam Teucridae reges Salaminii item ut Teucri sacerdotes Olbenses a Teucro heroe Graeco nomen acceperunt, ut infra fusius explicabimus (cfr. p. 57; 61.).[3])

---

[1]) *Γέργιϑας* lectionem cod. Marc. A et Meineke et Kaibel in textum recepit. Attamen animadvertendum est et in codice Laurentiano E epitom. Athen. et apud Suidam (s. v. *Γέργηϑες, Περιβολή, Τύρβη* hanc factionem Milesiorum *Γέργηϑας* nominari. Quam lectionem qu probabit, fortasse haesitabit an hi Gergethes a Gergithum gente distinguendi sint, praesertim cum neque Clearchus neque Strabo Milesiorum Gergithum mentionem faciat.

[2]) Omittendum hoc loco putavi Gergitha vicum Mysium, in quem e Troade Attalus Gergithes captivos traduxit (v. Strab. p. 616). Praeterea ne illic quidem de Teucris ulla memoria exstat.

[3]) Inde apparet reiiciendam esse Duemmleri opinionem (Athen. Mitt. XI p. 250/251 et adn. 1), qua antiquissimorum vasorum nonnull illa exempla, quae eadem et Cypri et in Troade reperta sunt, et hi

Ergo extra Troadem ne in una quidem ceterarum regionum, in quibus Gergithum nomen invenitur, Teucrorum ullum indicium reliquum est. Quae cum ita sint, nonne iure statuimus Gergithes a Teucris diversos esse?

In Troade autem cur Gergithes cum Teucris coniuncti sint, facillime intellegitur. Teucri enim fabulis posthomericis, ut supra (c. I, 1) vidimus, antiquissimi incolae Troadis fuisse narrantur atque etiam ab ipso Herodoto et eodem illo loco, quo Gergithum proavi perhibentur (V, 122), *ἀρχαῖοι* appellantur et alio loco (VII, 20) bello Troiano priores fuisse traduntur. Ex quo perspicuum est Gergithes ab Herodoto eiusve auctore vetustissimam earum quae tum in Troade habitabant nationum putatam esse eamque ob causam cum antiquissima quae mythis ferebatur gente Troadis i. e. cum Teucris copulatam esse.

Verae igitur meraeque reliquiae Teucrorum in Troade ea quam historia complectitur aetate non supererant, sed memoria tantum fabulosa, qua antiquissimis temporibus adscripti erant.

## B. De Teucris e Troade in Europam transgressis.

### a) quae Paeones quosdam tradidisse Herodotus narret.

Herodotus (V. 13) Pigreta et Mantyen Paeones adulescentes nobiles Dario regi interroganti, quinam homines Paeones essent, respondisse dicit eos Teucrorum Troianorum colonos esse.[1])

---

et illic ab eadem gente Gergithum (!) (eiusque cognatione) confecta esse suspicatur. Quae suspicio etiam alia via refutatur. Iidem enim illi typi vasorum nuper ab Alfredo Koerte (v. Kretschmer. l. l. p. 174 ss.; Athen. Mitt. XX p. 19; Archaeol. Anz. XI. p. 34; Zeitschr. für Ethnol. 1896 p. 123; Athen. Mitt. XXII p. 21/25; XXIV p. 21 ss.; p. 38 ss.) Phrygia quoque e terra eruti sunt, ubi nullum testimonium traditum est Gergithes unquam habitasse. Praeterea Eduardus Meyer (Gesch. d. A. II § 79, p. 125), Kretschmer (l. l. p. 189), Koerte (Athen. Mitt. XXIV p. 39) iure monuerunt numerum formarum Cypriae arti vasculariae cum Troiana communium non tantum esse, ut eas in altera regione ab eadem gente atque in altera usurpatas esse contendere liceat; quantum e. g. numerum esse formarum Phrygiae arti vasculariae cum Troiana communium Koerte (Athen. Mitt. XXIV p. 39 ss.) et Kretschmer (l. l. p. 175/6, 177/178, 189) existimant. — Item corruit Kretschmeri coniectura (l. l. p. 190), qua a Teucris Gergithibusque Cypro (!) in Troadem profectis et postea hinc illuc reversis (!) et formas illorum vasorum et rationem, qua cocta sunt, in artem Cypriam inductam esse audacius hariolatur.

[1]) Hoc ex loco deprompta videntur esse quae Strabo (p. 331 l. VII fr 38) refert: a compluribus Paeones Phrygum colonos esse affirmari (v. Thraemerum ‚Pergamos' p. 290, 1).

Quid de hac fama iudicandum sit, iam Eduardus Thraemer (‚Pergamos' p. 325, cfr. et p. 290/1) eo indicavit, quod Paeones in Iliade socios Troianorum i. e. progeniei Teucrorum esse monuit. Atque cum Guilelmo Tomaschek (S. B. d. Wien. Akad. Bd. 128, 1893 ‚Die alten Thraker' p. 13 ss.) consentio Paeones ab auctore aliquo Homero aetate posteriore ideo cum Troianis consanguinitate conexos esse, ut explicaretur, cur in bello Troiano eis auxilio venirent. A Teucris autem illam coloniam e Troade in Paeoniam quae postea vocabatur deductam esse idcirco posuit, quia eam ante Dardani aetatem missam esse ex eo conclusit, quod in Iliade, ubi inde a Dardano res Troianae narratae erant, nihil de ea traditum erat.

Videmus igitur hanc quam Herodotus de Paeonum origine Teucria exhibet narrationem coniecturam esse ex Iliade petitam. Talem autem coniecturam non a Paeone coniectore, sed a Graeco factam esse manifestum est. Et certe veri simile est eam non revera ab illis principibus Paeonum prolatam, sed eis ab Herodoto eiusve auctore attributam esse.[1] Attamen qua re etiam ipsi illi Paeones adduci potuerint, ut Graecam hanc coniecturam assumerent, iam Henricus Stein (ad Herodot. l. l.) ostendit. Reputavit enim eos, cum tyrannidem in Paeones appeterent, id a rege impetrare studuisse, ut eos (i. e. Paeones) bello subigeret. Huic autem consilio eximie suffragari animadvertit hanc fabulam, qua demonstretur Paeones iam origine sua in dicione ac potestate Persarum esse, quos cum omnium ceterarum gentium Asianarum tum Troianorum imperium tamquam hereditate acceptum sibi vindicasse idem Herodotus docet. (I. 4./5.; IX. 116.)

Nihil ergo obstat, quominus hanc relationem Paeonum Herodoteorum vanam hariolationem esse statuamus, ex qua de Teucris nihil novi discimus.

### b) quae Bithynos tradidisse Herodotus narret.

Herodotus (VII. 75.) Bithynos affirmasse dicit se e Thraciis suis sedibus ad Strymonem fluvium sitis a Teucris Mysisque expulsos esse.

Haec narratio quomodo accipienda sit, facillime, ut iam Tomaschek (l. l. p. 16, 19, 64) demonstravit, nobis perspicitur,

---

[1] Tomaschek (l. l. p. 14) arbitratur totam hanc de Paeonibus profugis eorumque sorore memoriam non ad veritatem traditam, sed (quasi vaticinium ex eventu collectum) excogitatam esse postquam magna pars Paeonum a Megabazo in Asiam abducti sint. — Simillima autem de uxore Mysi cuiusdam Thracis leguntur apud Nicolaum Damascenum (fr. 71 M.), qui unde ea mutuatus sit nescimus. Thraemer (‚Pergamos' p. 325 adn. 1) Nicolaum narrationem Herodoteam imitatum esse censet, sententiam Muelleri secutus (v. FHG III p. 413).

cum recordamur Herodoti aetate Strymoniam quam Bithyni antea suam fuisse fortasse iure[1]) praedicabant regionem eandem a Paeonibus occupatam fuisse (v. Herodot. V. 1., 13., 98. [VII., 113.]). Hinc enim probabile fit Bithynos revera contendisse se a Paeonibus eiectos esse. Paeonum autem ἀρχηγέτας ab Herodoto eiusve auctore Teucros putatos esse supra vidimus. Atque iam hos proavos Paeonum Strymonium agrum cepisse ei visos esse cum indicio significatur tum argumento confirmatur: Significatur eo, quod Herodoti illo capite (V, 13) Paeones Teucrorum coloni esse proxime et secundum ipsa ea verba narrantur, quibus ad Strymonem dicuntur habitare. Confirmatur eo, quod elucet illum scriptorem, cum Paeonum proavos ante Troica tempora e Troade in Thraciam immigrasse ex Iliade, ut supra explicavimus, coniecisset, facere non potuisse, quin ex eadem Iliade colligeret eos tum Thraciam ab Hellesponto usque ad Axium fluvium, inter quos terminos et Strymonia regio sita est, victores peragrasse[2]); in Iliade enim compluribus locis (II, 848/50; XVI, 287/8; XXI, 154/7) progenies eorum i. e. Paeones belli Troiani aetate Axii amnis accolae fuisse perhibentur.

Quid igitur probabilius est quam illum auctorem iam ab his proavis Paeonum Bithynos e Strymoniis suis sedibus exactos existimavisse eamque ob causam in eorum narratione Teucros pro Paeonibus substituisse? Quod si ita est, hac narratione Herodotea de Teucris nihil aliud traditum est nisi quod illa, de qua capite antecedente disputavimus.

Mysos autem idem ille auctor una cum Teucris Bithynorum de expulsione sua memoriae idcirco videtur admiscuisse, quod eos, ut alio loco (VII, 20) apud Herodotum legimus, una cum Teucris ante Troica tempora ex Asia in Europam putavit transisse.[3]) Quam in opinionem qua re adductus sit, infra disseremus.

### c) quae nullo auctore nominato Herodotus prodat.

Herodotus Teucros (VII, 20) commemorat una cum Mysis ante Troica tempora per Bosporum in Europam transgressos

---

[1]) cfr. Ed. Meyerum, Gesch. d. A. I § 452 p. 544; II § 290 p. 451; § 293 p. 455 et adn., 457. apud Paulyium-Wissowam (s. v. Bithynia) III p. 512; Ed. Thraemerum, ‚Pergamos' p. 329, 1; G. Tomaschekium l. l. p. 63 ss; P. Kretschmerum, Einl. i. d. G. d. gr. Spr. p. 211.

[2]) Revera Paeones non ab oriente, sed contra ab occidente ad Strymonem progressos Bithynos non ante annum 700. a. Chr. n. expulisse demonstrarunt Thraemer l. l. p. 329, 1, Eduardus Meyer ll. ll., impr. apud Wissow. III, p 510/1, Tomaschek l. l., Kretschmer l. l.

[3]) Aliter, sed minus recte Thraemer iudicat (l. l. p. 325).

omnibus Thracibus subactis et usque ad Ionium mare descendisse et in meridiem versus usque ad Peneum fluvium pervenisse.[1])

Haec fabula unde orta sit, ex parte iam supra cognovimus. Teucrorum enim bello Troiano antiquiorum hanc in Europam expeditionem ideo excogitatam esse elucet, ut explanaretur, cur Europaeae complures gentes (ut Thraces, Cicones, Paeones) in Iliade socii Troianae progeniei eorundem Teucrorum essent.

Mysi autem cur huic migrationi interfuisse perhibeantur, iam Thraemer (‚Pergamos' p. 290/1) animadvertit.

Europaeorum enim Mysorum Iliadis carm. XIII. v. 5. mentio fit.[2]) Atqui Herodotus vel auctor eius Mysos Asianos indigenas esse arbitrabatur (I, 171; VII, 74). Quam cum haberet opinionem, nonne veri simillimum est eum coniecisse Europaeos illos Mysos in Iliade commemoratos coloniam esse ab Asianis ante Troiana tempora in Europam deductam?[3]) Hanc autem Mysorum migrationem, ut ita dicam, antehomericam cum antehomerica migratione Teucrorum eo facilius coniungi potuisse patet, quod Mysi et apud Homerum cum Troianis nepotibus Teucrorum foedere sociati et Herodoti aetate Teucrorum quae fuisse putabatur terrae finitimi erant.

Restat, ut de via, qua agmen illorum sociorum processisse praedicatur, et de terminis, quibus iter eorum definitur, iudicium faciamus.

Ac per Bosporum quod dicuntur in Europam transisse, id principio ad Mysos solos pertinuisse censeo. Teucri enim Hellespontum, non Bosporum accoluisse existimabantur. Mysos

---

[1]) Eandem narrationem Teucro heroe pro gente Teucrorum substituto eiusque nomine ambagibus circumito Lycophron (v. 1341/5) exhibet (cfr. Joh. Geffckenum, Herm. XXVI, p. 568). Quem, cum eam ab Herodoto mutuatus esse videatur (cfr. Holzingerum ad l. l.), in hac quaestione neglegendum esse duco. — Levissime Strabo (p. 61) hanc memoriam attingit.

[2]) Sed perperam facit Thraemer (l. l. p. 289), quod a Thraciis his Mysis eos, qui aliis locis in Iliade inducuntur, vetat disiungi. Nam certe carm. XXIV. v. v. 277/278. Asianos Mysos commemorari ex eo cognoscitur, quod mulos Priamo dono dedisse narrantur. Mulum enim ex Asiae regionibus Ponticis oriundum esse Victor Hehn (‚Culturpfl.'[6] p. 131 ss.; 562 ss.) explicat. Thraces autem neque asinos aluisse neque mulos educasse apparet, cum Scythis genti illi Thracibus finitimae et asinos et mulos ignotos fuisse Herodotus tradat (IV, 129). — Praeterea carm. II. v. 858. Mysos ad Asianas oras Bospori et Propontidis habitantes cogitari Thraemer ipse suspicatur (l. l. p. 334 ss.), et carm. X. v. 430/1. Mysos inter Lycios et Phryges Maeonesque collocatos reperimus.

[3]) Revera Mysos contra ex Europa in Asiam transmigrasse demonstrarunt post alios Thraemer (l. l. p. 333 ss.); Tomaschek (S. B. d. W. A. Bd. 128 p. 47 ss.); Kretschmer (Einl. p. 211, 391).

autem constat olim prope a Bosporo sedes habuisse[1]), quem etiam Mysium vocatum esse complures testes exstant.[2]) Rursus principio Teucros solos in occidentem versus usque ad Ionium mare penetrasse putatos esse vero proximum est, cum in regionibus illi mari adiacentibus nihil videatur Mysorum memoriam attulisse, Teucrorum nonnulla, Troianorum enim complurium locorum, complurium fluviorum nomina eadem in Epiro reperiebantur.[3])

Troianus heros Helenus et Andromache herois Troiana post bellum Troianum illic regnasse ferebantur.[4]) Quae cum ita essent, nonne facile fabula oriri poterat iam antiquissimos proavos Troianorum illam regionem in dicionem suam redegisse eamque velut hereditate illis Troianis reliquisse?

Item quod de ambarum gentium ad Peneum progressu traditur, ad Teucros solos revocandum esse arbitror. Nam primum Paeones ‚Teucrorum' illos ‚colonos' fines imperii sui quondam in Emathiam et in Pieriam propagatos habuisse certis auctoribus comperimus.[5]) Deinde Pelasgi illi, qui apud Homerum socii Troianorum a Teucris prognatorum erant, in Thessalia videntur collocati et revera apud eum fuisse et antiquitus saltem a Graecis putati esse.[6]) Ad extremum ut in Epiro item in his regionibus Troiani complures heroes e bello Troico servati habitasse narrabantur.[7])

---

[1]) cfr. Ed. Meyerum, Gesch. v. Troas p. 99/100; Gesch. d. A. I p. 301; Thraemerum l. l. p. 276 ss.; 333 ss.; Tomaschekium l. l.; Kretschmerum l. l.

[2]) Dionysius Chalcid. fr. 7 (FHG IV, 395); Dionysius Perieget. v. 140; Arrianus fr. 35 (FHG III, 593); schol. Apollon. Rhod. II, 168 (coll. I, 1115). v. Thraemerum l. l. p. 277.

[3]) v. Steph. Byz. s. v. Τροία (cfr. Dionys. Hal. I, 51; Vergil. Aen. III, 349; Ovid. Metam. XIII, 721); s. v. Ἴλιον (cfr. Liv. XXXI, 27; Vergil. Aen. III, 336); v. Vergil. Aen. III, 302; 336; 349/51; cfr. Varron. apud interpol. Serv. ad Vergil. Aen. III, 349.

[4]) v. Engelmannum ap. Roscher. lexic. I$^b$ p. 1980/1; Kluegmannum ap. Rosch. lex. I$^a$ p. 344/5; Ottonem Gruppium, Griech. Mythol. (=Muelleri comp. V, 2, 1) p. 305, 350, 353. Horum a stirpe oriundos se reges Molossorum iam sexto a. Chr. n. saeculo gloriabantur (v. Pausan. I, 11, 1–2; Gruppium l. l. p. 353). De Aenea in Epiro versato v. Woernerum ap. Rosch. lex. I$^a$ p. 170; Gruppium l. l. p. 353.

[5]) v. Polyb. 24, 8, 4; Livium 40, 3, 3; Strab. p. 331 fr. 38; Eustath. ad Il. II, 848. — Praeterea Eordaeorum, qui a Plinio (h. n. IV, 10 [17], 35) in numero Paeoniarum gentium habentur, coloniam in Thessalia repertam esse Suidas tradit (ap. St. B. s. v. Ἄμυρος).

[6]) cfr. Ed. Meyerum, Forsch. z. a. Gesch. I p. 36/37. Posterioribus temporibus aliter, sed perperam de iis iudicatum est (v. Meyerum l. l. p 34 ss.).

[7]) de Aenea v. Woernerum ap. Roscher. lex. I$^a$ p. 167; Gruppium l. l. p. 209, 218, 311; de Andromacha v. Kluegmannum ap. R. l. I$^a$ p. 344 Ricard. Wagnerum ap. Paulyium-Wissowam I p. 2151; de Heleno v. Engelmannum ap. R. l. I$^b$ p. 1980; Gruppium l. l. p. 305 adn. 14.

Attamen Mysos quoque in Macedoniam pervenisse contendat quispiam collato fragmento Hellaniceo 46. (M.), quo olim domicilia Macedonibus coniuncta dicuntur habuisse.[1]) Sed cum Hellanicus Herodoto aetate inferior fuerit, nonne suspicio est Lesbium scriptorem notitiam Macedoniensium Mysorum ex ipsis his verbis Halicarnassei delibasse? Quamquam infitiari nolim talem Mysorum in Macedoniam transgressionem idcirco inventam esse posse quod Olympus nomen idem monti Mysio erat atque celeberrimo illi monti Macedoniam a Thessalia seiungenti.[2]) — Sed satis de Teucrorum Mysorumque migratione! Ne hanc quidem narrationem de Teucris novi quidquam afferre demonstravimus.

Iam quaecumque de Teucris ad historiae fidem tradita videntur, omnia perlustravimus, atque summa subducenda est. Videmus igitur historicos Teucrorum veras merasque reliquias non cognitas habuisse neque quidquam credibile de eis compertum habuisse nisi hoc: Teucrorum nomine antiquissimam quandam gentem appellari quae ante bellum Troianum Troadem incoluisse putabatur. — Hunc autem populum antehomericum cum fabulosae memoriae attribui necesse sit, apparet hanc de gente Teucrorum relationem depromptam esse e poëtarum de Teucro heroe mytho. Quem Teucrum heroem eponymum antiquissimae cuiusdam gentis barbarae esse etsi prorsus negari non potest, tamen satis improbabile est, cum eodem nomine heroem vere Graecum appellatum reperiamus, qui quo modo familiae regum Troianorum insertus sit facile explicatur.

## II. De Teucro heroe Graeco.

### Quae de Teucro Graeco tradita sint.

Antiquioribus carminibus Iliadis Teucer legitimus filius Telamonis, Aiaci fratri materno quoque genere par (*κασίγνητος*) esse perhibetur.[3]) Patria autem eius quae sit, ab Homero non

---

[1]) FHG I p. 51 fr. 7 (M.) = Constant. Porphyrog., de them. II p. 48: ‚— *νῦν Μακεδόνες καλοῦνται, μόνοι* (!) *μετὰ Μυσῶν* (!) *τότε οἰκοῦντες.*‘ Dubito an scribendum sit ‚*μόνοι, οὐ μετὰ Μυσῶν*‘ (coll. Platon. Protag. p. 316 C; Xenoph. Anab. 5, 4, 34; 7, 3, 13). De Mysis Macedoniensibus Thraemer (‚Pergamos‘ p. 289, 326/7) confert et schol. Il. XIII, 5 (V. T.) et Eustath. ad Il. XIII, 1.

[2]) De simillima coniectura ab Ida nomine eodem duorum montium petita v. supra p. 45.

[3]) v. Il. c. VIII. v. 330; c. XII. v. 371.; c. XV. v. 436, 466; quibus versibus Teucer *κασίγνητος* Aiacis vocatur. De voce *κασίγνητος* cfr. Jacob. Wackernagelium, Kuhns Zeitschr. Bd. XXXIII = N. F. Bd. XIII, Heft 1, p. 13 ss.

commemoratur nisi quod Aiax frater eius Salamine ortus esse praedicatur recentioribus quibusdam versibus Iliadis carminis II. (v. 557.) et VII. (v. 199.), quibus in duobus carminibus Teucri nulla mentio habetur.

Sed iam Il. carm. VIII. v. 284. Teucrum paelice natum esse legimus, quamquam cuius gentis illa sit, non comperimus. Videtur autem hic versus additus esse epicorum posthomericorum aetate.[1]) *Cyclicos* enim poëtas Teucrum spurium filium Telamonis Hesiona Troiana natum tradidisse posteriorum poëtarum et scriptorum consensu comprobatur.[2]) Ab iisdem auctoribus *Salamis insula Graeca* ei patria attribuitur. Hinc expulsus *Cyprum* venisse dicitur[3]), ubi Salaminiorum principum familia quaedam ab illo originem se trahere gloriabatur.[4])

His cum tyrannis Cypriis nescio an *Ciliciensibus* illis sacerdotibus in oppido Olba regnantibus necessitudo intercedat, quorum plurimis nomen Teucrum aut Aiacem fuisse et tituli[5]) illic reperti docent et Strabo (p. 672) narrat.

Denique etiam in *Hispaniam* Teucer venisse fertur: Ipsum eum Carthaginem Novam condidisse tradunt Pompeius Trogus (apud Justin. l. 44. c. 3.) et Silius Italicus (l. III. v. 368.; l. XV. v. 192.).

Reliquias manus cum illo profectae in Gallaecia habitare dicunt Asclepiades Myrleanus (ap. Strab. p. 157.) et Pompeius Trogus (ap. Iustin. l. 44. c. 3.).

## 1. Quae principio patria Teucri fuerit.

Quid de his narrationibus iudicandum sit.

Apud Homerum Teucer verus merusque Graecus est. Atque profecto eum principio legitimum Graecum fuisse eo confirmatur

[1]) Zenodotus eum prorsus omisit, Aristophanes ab Homero abiudicavit (cfr. schol. A ad Il. l. l.). Quorum grammaticorum iudicio adstipulor, praesertim cum hoc versu deleto contextus verborum nullo modo interrumpatur et ipsa haec praedicatio ‚ὅ σε τρέφε τυτθὸν ἐόντα‘ saepius una atque sola nomini patris educatorisve adiungatur (cfr. Il. XIII, 465/6; Odyss. XI, 67; XXIII, 325; simil. Il. XXII, 480).

[2]) cfr. Soph. Aiac. (impr. v. 1302/3); Hellanic. fr. 138 (M.); Xenophont. de venat. l. I c. 9; incert. auct. Teucri fabulae (Aristot. rhet. l. III c. 15 p. 1416b1); v. et Ennii Telamon. fr. IV (‚ingenuom Aiacem‘) etc.

[3]) Testimonia collegit Engel, Kypros Bd. I p. 212.

[4]) Isocrat. or. IX c. 19 ss.; III c. 28; Hermesianact. ap. Antonin. Liberal. l. XXXIX, 2 (M.); Pausan. l. I c. 3, 2; l. II, c. 29, 4. — Teucer pater sacerdotis Cypriae appellatur titulo C. I. G. n. 2637 exscripto.

[5]) cfr. Rud Hennigium, Symbol. ad Asiae Minoris reges sacerdotes, dissert. Lips. 1893 p. 26/49; Ad. Wilhelmum (et Rud. Heberdeyum), Reisen i. Kilikien, Denkschr. d. K. K. Akad. zu Wien Bd. XLIV, VI p. 53, n. 121; p. 85, n. 166; p. 88

[6]) cfr. Ukertium, Geogr. d. Gr. u R. II p 311, 71. Huebnerum ap. Wissowam t. III s. v. Carthago Nova p. 1620; s. v. Callaici p. 1357.

quod utrumque parentem eius Graecum indigenam fuisse facile perspicitur. Telamonem enim primitus Titanem fuisse cum Atlante[1]), Prometheo[2]), Tantalo[3]) artissima propinquitate coniunctum iam pridem viri docti viderunt.

Hesionam autem Troianam quae videtur item primitus Graecam fuisse certis argumentis probatur. Ipsum enim nomen Hesiona Graecum est[4]) idemque his Graecis heroidibus inditum:

1. filiae Danai (ap. Dictym Cretens. I. 9.; IV. 22.; (matri Orchomeni) schol. f in Apollon. Argon. I. 230.; Clem. Rom. Recognit. Rufin. interpr. X 21.)[5]);
   uxori Atlantis (schol. Eurip. Phoeniss. v. 1129. et Dict. Cr. l. l.)[6]);
2. filiae Oceani;
   uxori Promethei (ap. Aeschyl. Prom. v. 579 W.; ap. Acusil. fr. 7 M. = sch. Od. X, 2);
3. uxori Nauplii (ap. Cercop. in Ps. Apollodor. bibl. II, 1, 5, 14).

Hoc autem e conspectu duos fructus percipimus:

Primum Hesionam Nympham fuisse apparet, cum et Oceani et Danai filia et Nauplii uxor perhibeatur. Deinde eam primam iustissimamque uxorem Telamonis fuisse ex eo efficitur quod eadem et Atlanti et Prometheo pari matrimonio

---

[1]) v. Ennium fr. incert. 49 (V.); Vitruv. VI, 10; cfr. E. Curtium Archaeol. Zeit. 39 p. 14 (C. I. G. II n. 2056 A); Otton. Gruppium, Griech. Mythol. (= compend. Muell. V, 2, 1) p. 95, 9; 383; Konr. Wernickium ap. Wissowam II p. 2125.

[2]) cfr. Maximilian. Mayerum, Die Giganten u. Titanen p. 91 ss. 96 adn. 109; Gruppium p. 382 l. l.

[3]) cfr. Mayerum l. l. p. 88 ss.; Prellerum-Robertum, Gr. Mythol. p. 561 adn. 8; Wilamowitzium, Her. II² p. 96. Gruppium l. l. p. 38[illegible] Wernickium l. l. p. 2127.

[4]) Ab *Αἰσία* id ducunt Franc. Buecheler, Rh. M. 27 p. 475; Guilelm. Schulze, Quaest. ep. p. 120 adn.; Gruppe l. l. p. 90/91; ab *Ἀσία* Otto Hoffmann, Griech. Dial. III p. 358 (coll. Schulzii quaest. ep. p. 14[illegible] contra Kuehnerum-Blassium, Gr. Gr. p. 169/170); *Ἀσία* nomen enodatur a S. Widio, Lakon. Culte p. 58; a C. Tuempelio ap. Wissowam II p. 156[illegible] v. et Gruppium l. l.

[5]) Schol. L in Apoll. l. l. exhibet *Ἰσονόης*, sed schol. p l. l. *Ἰσιόνης*. Atque eadem forma Isione legitur apud Clem. Rom. l. l., quem locum cfr. Buechelerum, Fleckeisens Jahrb. 105 (1872) p. 574. *Ἰσιό[νη]* autem facilius ex *Ἡσιόνη* depravari potuisse quam ex *Ἰσονόη* in aprico est. Quare non dubito, quin *Ἡσιόνη* verum nomen huius matris Orchomeni sit, *Ἰσονόη* autem, quod nomen nusquam alibi nisi apud schol. L in Apoll. l. l. reperitur, ex *Ἰσιόνη* depravatum sit. Aliter, sed perperam iudicat Hoefer in lex. Rosch. IIIᵃ p. 939/940.

[6]) Wilamowitz (Herm. 26 p. 211, 1) schol. Eurip. Phoeniss. v. 1129. *Ἡσιόνης* perperam mutat in *Πληιόνης*, Dictyis testimoniis prorsus neglectis.

coniuncta est. Hos enim Titanes Telamonem tamquam proxima cognatione attigisse iam supra commemoravimus.

Iam anquiramus, in qua parte Graeciae hi parentes Teucri primitus sedes habuerint.

De Telamone memoria exstabat:

1. Arcadiae in oppido Pheneo, prope quod oppidum sepulcrum eius demonstratum esse Pausanias testatur (l. VIII. c. 15, 6).[1])
2. Halicarnassi, ubi auctori gentis sacerdotum Neptuni Troezene oriundorum Telamonem nomen fuisse titulus docet illic repertus (cfr. Dittenberger. Syll. f. II. n. 372. = CIG. n. 2655).
3. in insula Aegina (v. testim. apud Joh. Toepfferum, Quaest. Pisistrat. p. 23 adn. 1).[2])
4. in insula Salamine (test. ap. Toepff. Att. Gen. p. 272 ss.)[3]).
5. in insula Lesbo, ubi Trambelum filium Telamonis Apriatam necasse et postea ab Achille occisum esse Euphorion narrat (ap. Parthen. f. XXVI [S.]).[4]) Lesbum autem insulam ex antiquo tempore compluribus vinculis cum Peloponneso coniunctam fuisse constat.[5])
6. Mileti?, ubi Trambelo, Telamonis filio, Lelegum regi, idem accidisse Aristobulus Cassandr. (fr. 3 M. = Athen. p. 43 d), Ister Callimachius (ap. Tzetz. Lycophr. v. 467), Aristocritus (cuius nomen ad Parthen. f. XXVI. in marg. cod. P. f. 186[r] adnotatum est hunc in modum: † (i. e. *γράφει*) *ἀριστόκριτος ἐν τοῖς περὶ μιλήτου* v. Sakolowskium ad l. l.) tradunt. Sed parum liquet, utrum in Milesia hac fabula Trambelus primitus Telamonis filius fuerit necne. Certe etiam Mileti nonnulla Peloponnesiaca viguisse scimus.[6])

Telamonem igitur principio Peloponnesium fuisse non sine iure iudicare mihi videor.

Hesionae quae regio Graeciae patria fuerit, ut cognoscamus, domicilia nobis perlustranda sunt Graecorum heroum cum ea coniunctorum. Reperimus autem

---

[1]) cfr. Gualt. Immerwahrium, Die arkad. Kulte p. 115.

[2]) cfr. et Wilamowitzium, Homer. Unters. p. 245.

[3]) cfr. Wilamowitzium l. l., Gruppium l. l. p. 137 ss.

[4]) cfr. Meinekium, Anal. Alexandr. p. 57; Tuempelium ap. Rosch. lexic. I[b] s. v. Apriate p. 2864; Philol. 49 p. 107 ss.; Gruppium l. l. p. 299 extr.

[5]) cfr. Ed. Meyerum, Gesch. d. A. II p. 239/244. v. de Tantalo, Titane Telamoni proximo, heroe olim Argivo (v. M. Mayerum, de Eurip. mythop. p. 31; Ed. Meyerum G. d. A. II p. 235/7), postea Lesbio Ed. Meyerum G. d. A. II l. l.; Gruppium l. l. p. 299 extr.

[6]) v. Gruppium l. l. p. 279 ss.

1. Atlantem, coniugem eius, primitus in Arcadia celebratum[1]),
2. Danaum, patrem eius, Argis habitantem[2]),
3. Nauplium, coniugem eius, Argivum Naupliae eponymum[3]),
4. Prometheum, coniugem eius, et Sicyone versatum et Argis sepultum.[4])

Quae cum ita sint, nonne elucet Hesionam Peloponnesiam fuisse?

Parentes autem Teucri cum e Peloponneso ortos esse videamus, suspicio exsistit eadem e terra ipsum quoque eum originem trahere. Atque revera in Iliade indicia quaedam reperiuntur, e quibus eum olim Peloponnesium fuisse coniiciendum videtur. Iliadis enim in carmine VIII. (v. 274)

1. Teucer Orsilochum vincit, cuius nomen idem compluribus heroibus Messeniis inditur (Il. c. V. v. 542. ss.; Odyss. c. III. v. 489.; c. XV. v. 187.; c. XXI. v. 16.; Strab. p. 367 Pausan. l. IV. c. 1, 4; c. 30, 2.),
2. Teucer adiuvatur a Mecisteo (c. VIII. v. 333.). Mecisteus autem nomen est
   a) filio Talai Argivi (Il. c. II. v. 566; c. XXIII. v. 678; cfr. et Pausan. l. II. c. 21., 2.);
   b) Herculi Eleo (Lycophr. v. 651 et Tzetz. l. l., cfr. Hercul. Macistium ap. Strab. p. 348.);
   c) filio Lycaonis Arcadii (Ps. Apollod. l. III. c. 8., 2.).

   Videtur Mecisteus heros eponymus esse Mecisti vel Macisti oppidi Triphyliae (de quo v. Hecataeum ap. St. Byz. s. v.; Herodot. l. IV. c. 148.; Strab. p. 345 ss.).[5])
3. Teucer Periphetam occidit in carmine XIV. (v. 515.). Hoc nomine appellatur
   a) filius Coprei Mycenaei (Il. c. XV. v. 638.);
   b) heros Epidaurius (Pausan. l. II. c. I, 4);
   c) filius Nyctimi, nepotis Lycaonis Arcadii (Pausan. l. VIII. c. 24, 1).
4. Teucer ulciscitur mortem Lycophronis Cytherei[6]) amici

---

[1]) v. M. Mayerum, Giganten u. Titanen p. 87. K. Wernickium ap. Wissowam II p. 2127.

[2]) v. Prellerum-Plewium, Gr. Mythol. II³ p. 45 ss. Bernhardum ap. Roscher. lex. I^b p. 952 ss.

[3]) v. R. Wagnerum ap. Rosch. lex. s. v. p. 23 ss.

[4]) v. Robertum-Prellerum, Gr. Mythol. I⁴ p. 94, 102 adn. 3. (Hesiod. theog. v. 536 ss., Pausan. l. II. c. 19, 8).

[5]) cfr. Ed. Meyerum G. d. A. II p. 285 ss.

[6]) Cythera insulam quae quaque aetate gens tenuerit v. ap. Meyerum l. l. p. 269 p. 438 p. 545.

sociique, Clitum interficit in carmine XV. (v. 437.; v. 445.). Clitus vocatur

a) filius Mantii Argivi (Odyss. c. XV. v. 240/249);
b) filius Polyidi Pherecyd. fr. 24[a] (FHG IV. p. 638), quem Homerus (Il c. XIII. v. 663.) Corinthium, tragici Argivum tradunt[1]) fuisse.

Accedit praeterea, quod quae de patria Teucri et de coloniis ab eo constitutis ab auctoribus Homero aetate inferioribus tradita sunt, non obstant, quominus eum in Peloponnesum, ut ita dicam, adscribamus.

Salaminem enim insulam, cuius nomen ab eadem radice atque Salmonei Elei[2]) nomen derivatum esse Wilamowitz (Herm. XXI. p. 600. adn. 2.) censet, vel situ Peloponneso propinquam esse et olim primo Aeginetarum, post Megarensium in dicione fuisse[3]) quis nescit? Salaminem autem urbem Cypriam, si non revera, ut poëtae narrant, a colonis ex insula Salamine profectis condita est, ab advenis Peloponnesiacis constitutam esse satis probabile est. Nam Cyprum in insulam iam antiquissimis temporibus colonias Peloponnesiacas deductas esse constat.[4])

In Ciliciam e Cypro Teucrum translatum esse verisimillimum est praesertim cum et hic[5]) et illic[6]) eum sacris Jovis adiunctum reperiamus. In Hispaniam denique si non, ut Huebnerus vult (ap. Wissowam III s. v. Callaici p. 1357, s. v. Carth. Nova p. 1620), propter nomina quaedam Hispanica Graecis similia a scriptoribus quibusdam recentioribus (ut ab Asclepiade Myrleano)[7]) putatur venisse, iam antiquiore aetate a nautis alicuius gentis Graecae traductus esse potest, quae vel ipsa Peloponnesia erat vel nonnulla Peloponnesiaca adsumpserat. Samios quidem, Argivae Junonis cultores, iam septimo a. Chr. n. saeculo usque in Hispaniam pervenisse scimus.[8])

---

[1]) v. Prellerum-Plewium Gr. M. II[3] p. 475.
[2]) de quo cfr. Busoltium, Gr. Gesch. I[2] p. 321; Gruppium, Mythol. p. 143.
[3]) cfr. Toepfferum, Att. Geneal. p. 272/4.
[4]) cfr. Busoltium l. l. I[2] p. 318, 320/1.
[5]) cfr. Tacit. Annal. III, 62; Lactant. I, 21, 1; v. Engelium, Kypros II p. 662; Gruppium l. l. p. 335.
[6]) cfr. Strab. p 672; Hennigium, Symb. ad A. M. reg. sacerd p. 26 ss.
[7]) Sagaciter Engel (Kypros I p. 214) coniecit Teucrum ‚loca, ubi postea erat Carthago Nova, occupasse' a Romano quodam auctore ob eam causam perhibitum esse, quod apud Vergilium (Aen. c. I v. 621) Teucer imperio Beli, patris Didus Carthaginiensis, paruisse narrabatur.
[8]) cfr. Herodot l. IV c. 152; v. Ed. Meyerum, Gr. G. II p. 692; Busoltium, Gr. G. I[2] p. 432; de Samiorum cum Peloponnesiis necessitudinibus v. Meyerum l. l. p. 114, 243/4; 279; Busoltium l. l. p. 315.

Jam concedes nihil impedire quominus Teucrum principio Peloponnesium heroem fuisse statuamus.

## 2. Quae principio persona Teucri fuerit.

Teucrum Graecum esse demonstravimus. Attamen eum heroem eponymum antiquissimae alicuius gentis Graecae esse forsan quispiam opinetur.

Sed primum in Graecia nusquam vestigia populi Teucrorum inveniuntur. Deinde Teucer prognatus est ab heroibus vere mythicis, non eponymis. Telamon enim Titan est, Hesiona nympha. Postremo idem Teucer in sacris Jovis gravissimo munere fungitur.

Jam quaeramus quae de nativa indole Teucri enucleare possimus. *Τεῦκρος* nomen ductum est a radice *τυκ* (ut *τεύχειν*), significat opificem.[1]) Simili autem nomine alius filius Hesionae appellatur, Palamedem dico.[2]) Hoc enim nomen a voce *παλάμη* derivatum item ut *Τεῦκρος* artificem vel opificem declarat.[3]) Atque ipse celeberrimus ille inventor, cum propter similitudinem et nominis et muneris cum Palamaone (Eupalamo), patre Daedali[4]), et cum Palaemone (Palaemonio)[5]), filio Vulcani, coniungendus sit[6]), primitus Vulcanum propinqua cognatione videtur contigisse.

In eadem provincia versantur duo heroes Titanum genere nati, qui auctores omnis cultus humani putabantur: Alter Deucalion[7]), item ut Teucer et Palamedes filius Hesionae est idemque Prometheo patre natus, quem Telamoni proximum esse supra vidimus. Alter ipse Prometheus[8]) est, Iapeti Titanis filius et Asiae, quam eandem heroidem esse atque Hesionam nonnulli viri docti existimant.[9])

---

[1]) cfr. Curtium-Windischium, Gr. Etym.[5] p. 219, 507.

[2]) v. Cercop. ap. Ps. Apollod. II, 1, 5, 14. cfr. Prellerum-Robertum, Gr. Myth. I[4] p. 83, 2; Prellerum-Plewium, Gr. Myth II[3] p. 425, 3.

[3]) cfr. Pottium, Kuhns Zeitschr. V p. 277; Fickium-Bechtelum, Gr. Personennam. p. 405.

[4]) cfr. Mus. ap. schol. Pind. Ol. VII v. 66 etc.; Ps. Apollodor. l. III, c. 15, 8. v. Prellerum-Robertum l. l. p. 183, 2. Schreiberum in Rosch. l. I[a] p. 934.

[5]) cfr. Ps. Apollod. l. I, c. 9, 16, 8; — Apollon. Rhod. l. I v. 202./203. v. Prellerum-Robertum l l. p. 602, 2.

[6]) cfr. O. Jahnium, ‚Palamedes' (Hamburg 1836) p. 30; p. 59 adn. 118.

[7]) cfr. Weizsaeckerum ap. Rosch. l. I[a] p. 996; Prellerum-Robertum l. l. p. 84 ss.

[8]) cfr. Prellerum-Robertum l. l. p. 91 ss., 100. Etiam ipse Vulcanus cum (Talo) Titane coniungitur. v. Prellerum-Robert. l. l. p. 174, 4.

[9]) cfr. Weizsaeckerum ap. Rosch. lex. I[a] p. 2591 ss., Joh. Flachium, Fleckeisens Jahrb. 123 p. 821 ss. — O. Hoffmannum, Gr. Dial. III p. 358 et al.

Quae cum ita sint, satis probabile videtur Teucrum filium Telamonis Titanis et Hesionae nymphae principio similem personam tenuisse.

### 3. Quo modo factum sit, ut Teucer ab epicis posthomericis nothus perhiberetur et Troianorum regum in familiam transferretur.

Apud Homerum Teucro, ut supra commemoravimus, frater est Aiax. Attamen hic non a principio Telamonis filius videtur fuisse. Neque enim primum ipsius eius personae ulla necessitudo cum Titanibus Telamoni propinquis intercedit.[1]) Deinde quae in fabulis posthomericis nominantur matres eius heroidesque cognomines[2]) earum cum nonnullis aliis heroibus (ut Periboea cum Eurymedonte Gigantum[3]) rege [Odyss. c. VII. v. 57./60.]), nunquam cum illis Titanibus coniunguntur.

Postremo, quod gravissimum est, apud Locrenses alter Aiax[4]) invenitur, qui neque per se ipsum neque per familiam suam cum Telamonio genere quidquam rationis habet. Quae cum ita sint, Aiacem post Teucrum, quem et per se et per matrem suam Titanibus Telamoni cognatis proximum esse vidimus, filium Telamonis factum esse suspicari velim. Certe haec coniectura apte quadrat ad rationem apud Homerum inter Aiacem et Teucrum intercedentem: Nam Aiax, hoplites fortissimus, quasi quodam modo patronus et tutor est Teucri et virtute et armatura inferioris (Il. c. VIII. v. 266 ss.; c. XV. v. 465 ss.). Hoc autem cur ita se habeat, perspicue explicatur, si Aiacem ab externa nescio qua gente Graeca (a Locrensibus?) in Teucri patriam se inferente veteresque eius incolas paullatim obscurante familiae Teucri insertum (i. e. Telamonis filium, fratrem Teucri factum) esse existimamus.

Quod si recte statuimus, ab epicis posthomericis eam ob causam Aiaci aliam matrem (Eriboeam) attributam, Teucri matrem (Hesionam) in paelicis ordinem detrusam esse arbitror, quod illis temporibus Aiacis gentiles (ab advenis

---

[1]) de Aiace Telamonio quae tradita sint, v. ap. Fleischerum in Rosch. lex. I^a p. 121 s. v.; O. Rossbachium ap. Wissowam p. 930 ss.

[2]) de Eriboea v. Schultzium in Rosch. l. I^a p. 1303; de Periboia v. Ps. Apollodor. l. III, c. 12, 7 etc. (cfr. Papium-Benselerum, Eigennamen s. v.); de Meliboea v. Stollium in Rosch. l. II^b p. 2630/1.

[3]) Inter Gigantes et Titanes quid discriminis intersit, v. M. Mayerum, Gig. u. Tit. p. 3 ss., 50 ss.

[4]) de Aiace Locro v. Fleischerum in Rosch. l. I^a p. 133; Toepfferum ap. Wissowam I p. 936 ss.

sive eiusdem sive alius gentis adiuti?[1]) Teucridas gradu demoverant.

Troianam autem ad gentem cur paelex Telamonis traducta sit, in propatulo est. Paelices enim captivae solebant esse. Omnium autem expeditionum a Telamone susceptarum celebratissima ea erat, qua Troiam cum Hercule cepisse narrabatur.[2])

Iam apparet, quo modo Teucer heros Graecus in familiam regum Troianorum pervenerit.

## III. Qua ratione Teucer Semitroianus cum Teucro vetustissimo illo proavo Troianorum coniunctus sit.

Teucrum Troianum ab auctoribus posthomericis Homerico stemmati regum Troianorum ut socerum Dardani praepositum esse supra diximus. Videtur ergo alter hic Teucer non ante inductus esse quam Teucer Graecus qui fuerat Semitroianus factus est. Quod cum ita sit, non dubito, quin Teucer Troianus a Teucro Semitroiano originem trahat. Atque ideo hunc Teucrum Troianum novatum[3]) esse existimo, ut Teucri Semitroiani nomen illustratissimum ex omnibus Troianis redderetur.

Eiusdem rationis poëticae alterum exemplum in eodem stemmate regum Troianorum videtur exstare: Astyocha[4]) Graeca uxor Telephi Graeci, postquam una cum marito in Mysiam translata est, primo cum Priamo consanguinitate coniuncta est (idcirco nempe, ut certa causa esset, cur Eurypylus filius eius Troibus auxilium ferret). Huic autem Astyochae posteriore aetate Troiana[5]) cognominis proava data est cum Erichthonio[6]) prisco illo rege Troianorum matrimonio coniuncta.

---

[1]) Ab his advenis dubito an Aiacis gentiles novam matrem Aiacis mutuati sint.

[2]) v. Prellerum-Plewium, Gr. M. II$^3$ p. 232 ss. (Pindar. Nem. III, 37 etc.)

[3]) a Cyprio poeta Teucridarum nomen celebrante?

[4]) de Astyocha v. Stollium in Rosch. l. I$^a$ p. 662; Escherum ap. Wissowam I p. 1872/3.

[5]) v. Ps. Apollodor. l. III c. 12, 2; Tzetz. Lyc. v. 29.

[6]) Hic Erichthonius quantam personam in recentiore quadam fabula sustinuerit v. supra c. I, 1, B, b p. 47. et adn. 4.; p. 48.